Eſt Bibliothecæ Abbatiæ
Florentinæ ex dono
P. D. Jo: Bapt. Rota
Veneti.

3442.

5.4.161

Digitized by Google

Digitized by Google

ISIDORI CLARII

EPISTOLÆ

Ad Amicos.

Digitized by Google

Digitized by Google

5.4.1.1



Digitized by Google

ISIDORI CLARII

Ex Monacho Parmenſis Monaſterii

EPISCOPI FULGINATIS

EPISTOLÆ AD AMICOS,

QUAS

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. D.D.

JOSEPHO OLGIATO

Parmenſi Epiſcopo Comiti &c. ex autographo deſcriptas

D. MAURUS PIAZZIUS

Abbas ejuſdem Monaſterii, & Monachi.

D. D.

ACCEDUNT

DUO OPUSCULA ALIAS SEORSIM EDITA,


De modo Divitiis adhibendo.
Ad eos, qui à communiori Eccleſiæ ſententia diſceſſere Adhortatio ad concordiam.

MUTINÆ. M.DCCV.

Typis Antonii Capponi Impreſs. Epiſc. *Sup. Permiſſ.*

Digitized by Google

Digitized by Google



Illm̃o, ac Rm̃o in Chriſto Patri D. D.

JOSEPHO OLGIATO

PARMENSIS ECCLESIÆ EPISCOPO

D. Maurus Piazzius S. Johannis Evangeliſtæ Parmenſis Abbas, cæterique ejuſdem Monaſterii Monachi

S. P. D.

OCCASIONEM jamdudùm opperiebamur, ampliſſime Præſul, utì abſque fuco ali-

Canonibus evoluendis inſudaverit, qui proindè, & voce, & ſcriptis magnæ Tridentinæ Synodo interfuit, quantùm pietati amplificandæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtituendæ laboraverit editis doctiſſimis Libris, eoque vigilantiæ paſtoralis exemplo, quod nunc Fulginas Diœceſis ſuſpiciat. Aptè itaque noſtræ apud te obſervantiæ Orator accedit, quem benigniſſimè excipias tu, qui & iiſdem nominibus omnium in te oculos, animoſque rapis. Scripturarum, Patrum, Conciliorum, græcarum literarum, & totius Eccleſiaſticæ philologiæ ſtudium, quo nil aſſid-

vius

Digitized by Google

vius nil frequeutius colis, ſumma ea Gregis tibi commiſſi cura, quem exemplo, verboque paſcis, animi facilitas, qua, uti Epiſcopum decet, ſubditos, & aberrantes amore ad vitæ paſqua revocas, Iſidori ipſius mores, ſapientiam, ſanctitatemque exprimunt, quem nos humillimè in te coràm veneremur. Hæc ſcilicet animi tui decora Sanctiſs. Pontificis INNOCENTII XII. amorem promeruere, quo te inter familiares cooptavit, Epiſcopumq; Parmenſem renuntiatum, eorum, qui Aſſiſtentes vocantur, albo aſſeruit. Porrò tanti Pontificis vota operibus ſuperaſti, qui

in pauperes profuſus eorum inopiæ pijs erogationibus ades; qui ſequioris ſexus periculis occurrens invocatis Sanctiſs. Jeſus & Mariæ nominibus Gynæceum condidiſti; qui veterum Patrum mores revocans, frequentium concionum pabulo, oves tibi commiſſas nutrire ſoles. Sunt hæ quidem, quas exhibemus Epiſtolæ ab Iſidoro familiares ad amictos datæ, cum adhuc in hoc Cœnobio & in Turclarenſi degeret monachus, nec fortè trigeſimum ætatis ſuæ annum excederet; at nec ob id Iſidoro ipſi decor ille deperit, quo eſt te dignus. Pleræque hujus voluminis epiſtolæ

non

Digitized by Google

non modò eximiam eruditionem continent, ſed, quod omnis ſapientiæ apex eſt, & corona, ſummam pietatem & chriſtianæ Philoſophiæ dogmata redolent, quibus & animo tuo candido, facili, & veræ ſapientiæ flagranti, placeant. Tu etenim Is es, qui nullo mundanæ proſperitatis fulgore captus, nec generoſæ gentis tuæ gloria, nec Avorum fumoſis imaginibus exultas, ſed ſolam virtutem ſolidæ felicitatis loco habes, deſpicis verò quidquid Chriſtianæ moderationi adverſatur. Hinc quanta in omnes amoris, comitatiſque ſigna! Nos iſtius tuæ benignitatis teſtes adſumus, quos

Digitized by Google

ſummis beneficiis quotidiè afficis, devinciſque, quique ob id grati animi cauſa hoc Iſidori volumen tuo nomini inſcribendum cenſuimus. Hoc tibi ob Authoris Sanctitatem, doctrinamque, gratum futurum fore ſperamus, nec diffidimus, quin & nos illud offerentes benignè excipias, quos tanta humanitate amplecti ſoles. Erit id tamen novum, ingenſque beneficium, quod nulla deleat ætas, cujuſque vices, cum minimè reddere valeamus, enixè D.O.M. pro tua felicitate precabimur, ut te nobis, Diœceſi, Eccleſiæque, diù ſoſpitem ſervet. Vale.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO
EDITORES.

EDuntur erudite Lector Iſidori Clarii Epiſtolæ nonnullæ; utinam plures extarent! Aliquid præfari, ut in ſimilibus ſolet noſtrum equidem officium exigit, verùm multis te in limine detinere inofficioſum fore exiſtimamus. Paucis itaque accipe Epiſtolas haſce ex apographo Authoris manu deſcripto typis traditas. Illud ex manuſcripto agnoſcere facilè fuit, collectionem hanc ſibi Iſidorum comparaſſe non eo quidem animo, ut ederetur. Plura ita exarata ut lituris ſcaterent; græca paſſim inſerta Scriptoris, ex quo mutuata ſunt, nomine minime laudato; alicubi etiam ſphalmata minutiora offendimus. His tamen non obſtantibus, ut hæ Iſidori epiſtolæ ederentur operæ pretium viſum eſt, quandoquidem & latino ſermone nitidiſſimo conſcriptæ ſunt, & Auctorem ſuum ſumma eruditione, moribuſque amœnis, æque ac piiſſimis præditum exhibent, efficiuntque, ut ejuſdem acta pleniùs aliquantò innoteſcant

ad

ad id temporis pertinentia, quo nondum è carceribus, ut ità dicamus, ſtadium illud ingreſſus fuerat, quo difficillimis temporibus Eccleſiæ ſubſidio affuit, & rectè factis ad Fulginates Infulas vocatus, eruditione, ac pietate inſigni, nominis ſibi immortalitatem paravit. Quod ipſe igitur in hoc ſuo autographo facere omiſerat, nos tibi obſequentes effecimus. Lituras ſerio examine recognovimus, quodque implexis, minutiſque characteribus adjectum fuerat, eruimus; græca latinè reddidimus, indicatis alicubi fontibus ex Theocriti Idiliis; ſphalmata tandem, quæ alicubi extabant emendavimus.

Cum autem ad juſtam molem volumen ſolis epiſtolis minime excreviſſet, rem tibi pergratam nos effecturos exiſtimavimus, ſi duo Opuſcula bis adiicienda juberemus auro ſanè, gemmiſque pretioſiora, quæ licèt Auctore ſuperſtite typis tradita fuiſſent, nullibi tamen inveniebantur apud Bibliopolas. Prius opuſculum gliſcentibus heterodoxorum conatibus conſcriptum Iſidorum Romæ ſub Pauli III. Pontificatus initiis degentem exhibet, quò ſocius Gregorii Corteſii, ſummi illius Viri, de indicendo Concilio cum ſummo Pontifice deliberaturi, accitus fuerat. Id ille indicat in epiſtola ad Gaſparem Contarenum S. Rom. Ecc. Cardinalem, Opuſculo præfixa. Cum igitur poſtremæ, quæ modo eduntur epiſtolæ Parmæ ſint datæ anno 1529. *ad finem vergente, efficitur Iſidorum ex quo Monachum induerat, vix Parma pedem extuliſſe, uſque dum Romam cum Corteſio venit circa Annum* 1535. *Parmæ igitur, & pietatis, & literarum graviorum tyrocinium poſuit, adeptuſque eſt, ut ſummorum in Eccleſia Virorum judicio, aptiſſimus exiſtimaretur, rebus graviſſimis gerendis. Se-*

cun-

cundum opuſculum ad Brixienſes conterraneos conſcriptum incerti eſt temporis; at putamus antè profectionem Romanam elaboratum. Diverſum plane prædicta argumentum tractant, verùm utrobique Iſidori eruditionem, prudentiam, & pietatem teſtantur ſtylus perſpicuus, & latinè purus, candor ſententiarum, vis rationum, non modo ex cauſæ viſceribus petitarum, ſed ſacrarum Literarum oraculis methodo planè facili ſuffultarum. Ut autem ad epiſtolas, quæ nunc primùm in lucem prodeunt revertamur, illud ex his, quod antea ignorabamus, agnoſcimus, Iſidorum videlicet plurimùm in Sacra Poëſi valuiſſe; etenim quæ hic ſpecimina habentur, egregia quidem, quæque Authorem ſuum græcos, latinoſque Poëtas verſaſſe, et meliora ad Religionis noſtræ myſteria exornanda convertiſſe, legenti oſtendunt. Et illud quidem Poëſeos genus apprime commendari meretur, in quo ſi numeroſum Poëtarum ſobolem luſtres, rari apparent, qui pietati litent, & ſi qui huic ſcribendi rationi ſe dedunt, infelici conatu auſum minimè aſſequuntur. Nobis obitèr hic laudare liceat in hoc Poëſeos genere celeberrimum ex noſtris conterraneis, Thomam Ravaſinum Parmenſem.

Sacra igitur, ut undè diſceſſeramus revertamur, in primis ſtudia per ea Iſidori tempora Monachorum noſtrorum erant, quorum plures laudat in his epiſtolis Author; ſacris reliqua famulabantur, latini videlicèt, græci, & hebraici ſermonis notitia, & univerſæ philologiæ encyclopedia; ſcholaſtica ſobriùs, ac nunc fit colebantur, quantùm videlicet ſatis eſſet utilioribus dignoſcendis, & mentis aciei exercendæ. In his porrò, non modò Monaſterii Parmenſis Monachos, ubi Iſidorus adolevit, vitam

triviſſe

Digitized by Google

triviſſe palam eſt, ſed & reliquorum per Italiam Cœnobiorum Alumnos, quod præfiſcinè dictum ſit, ut appareat iniquioris in Monachos animi heterodoxos fuiſſe, qui ut novitatis, quam inducebant, prætexerent cauſas, Monachos, uti barbaros, inficetoſque calumniabantur. At hæc haud fortaſſe hujus ſunt loci. Plura adiicere benevole Lector, eſſet patientia tua abuti. Vale, & recens, quod exibemus donum, grato, libentique animo accipe.

Digitized by Google

ISIDORUS SILVESTRO MIRADULANO.

S.

NESCIO, quibus tibi nunc potiſſimùm verbis gratias agam, qui id præſtantiæ vir, atque eruditionis, & doctrinæ, tenue illud epigramma, quod in Pontificis Bernardi funus luſimus, non es dedignatus legere, legere autem, imò verò & laudare, atque etiam, quod ſummæ, & penè nimiæ humanitatis indicium eſt, reddere voluiſti eandem ſententiam, & tanquàm ornare tuo carmine, quod etiam redditum mihi eſt. Atque illud quidem carmen tuum nolo hoc in loco commendare, tùm quia meus mihi pudor obſtat, neque ſanè patitur, ut te quaſi ob os collaudem, tùm quòd latè patet, perindè, ut ſententia

eſt, de cujuſque doctrina, & ingenio, ità de iis, quæ ab eo fiunt, ſolere exiſtimari. Ego verò ad ſolam nunc humanitatem tam præclaram, & faciles mores tuos animum refero, cujus de probitate, atque integritate vitæ audiveram ſuperioribus temporibus, lætorque quàm maximè inter arma, & milites adhuc alicubi virtutem incolumen conſervari, cujus ubique penè ſublata, & abraſa veſtigia ſunt. Quare cùm ego tibi, tùm Cœnobiolo illi noſtro, quod propè ab arce veſtra ſedet, gratulor, atque illis Patribus, qui inter tot rerum, ac temporum difficultates, & perturbationes, optimum ſibi paratum perfugium exiſtimare poſſunt. Ego quidem, qui ab eo loco, ob martium furorem abhinc plures menſes nimiùm abhorrebam, efferor nunc ſtudio iſtùc advolandi, ut tanti viri conſuetudo uſui eſſe mihi aliquando poſſit, id quod ſpero prope diem fore. Interea ſerva te, & tibi, & nobis. Vale. Parmæ Nonis Julii. M.D. XXVII.

ISI-

ISIDORUS JULIO MANTUANO,

S.

FUeram ego tibi pollicitus, cum iſtic eſſem, me Commentatiunculam illam noſtram de libertate hominum, & prædeſtinatione Vincentio noſtro daturum, cum ad vos proficiſceretur, duos præterea additurum etiam dialogos, quos ſuperioribus diebus luſeramus; ſed nunc prohibeor, quò minus utraque ſimul præſtare poſſim, nam dialogorum alterum Jo: Baptiſta noſter Mantuam profectus ſecum abſtulit, neque ſatis tibi fuiſſe futurum exiſtimo, ſi alterum tantùm miſiſſem. Quare cum rectiùs me eſſe facturum ſim arbitratus, ſi utrumque ſimul alio tempore ad te dedero, unum illud Commentariolum accipies in præſentia de libertate noſtra. At verò eo legendo caveas velim, ne ità animo concipias, abſolutum aliquid, & quod numeros omnes haberet, me excudere voluiſſe, aut quod in cujuſvis manus tutò venire auderet (quæ enim ſunt vires meæ, ut ea ſuſtentem, in quibus om-

nia ingenia fatiſcunt?) Sed me ſervire oportuit, & tempori, & oneri, quod mihi fuerat impoſitum; nam multa aggredimur ſæpe numero, quæ ſi deſit neceſſitas, ne cogitare quidem audeamus. Illud præterea curare poteris, non tam mea cauſa, quamquàm facile invenias parentibus charos eſſe ſuos partus, quamvis deformes, & imbecillos, quàm plurimorum è fratribus noſtris, uti cùm uſus fueris hoc libello incolumem eum ad nos mittas per aliquos, quibus rectè committi poſſit. Etenim nullum adhuc eſt integrum deſcriptum exemplum, atque id accidit, ob infirmam hactenus omnium penè valetudinem, qui plerique omnes ejus à me exemplum efflagitant, ſed poſteà eis fiet copia illius, quàm ſatis tibi fecero. Nulla enim res tanta exiſtit, ut poſſit vim majorem adhibere alicujus jacturæ, levis præſertim, metus, quàm fides. Sed multa nimis hac de re. De te verò nihil accepimus omninò poſt diſceſſum noſtrum. Quare fac quæſo diligenter, quantùm me amas, ut certi aliquid ad nos deferatur, quid cum τεταίῳ τῷ πιρετῷ (*a*) conſtitueris, aut ſi nullus, jam aut dolor corpo-

(*a*) *tertiana febri.*

poris, aut infirmitas valetudinis tenet, nam moleſtum eſt mihi, non licere tibi omne hoc tempus perfrui iſta, in qua relictus es jam biennio amplius, amœnitate, ut conſtet tibi abundè fructus otii tui. Quod ſi vires firmæ ſunt, cogita tandem ad nos, quod tu facilè quidem conſequere, & hoc tempore nullum ferè eſt magis idoneum. Hoc te tàm rogo, quàm quod vehementiſſimè. Salutem omnibus meo nomine, & iis primùm, quos nominatìm appellare nihil mihi neceſſe eſt. Vale. Tertio Idus Septembris.

Eidem.

DElectaverunt me incredibilem in modum Innocentius,&Gregorius iidem tui, & iidem noſtri, qui ſe prius iſtic fuiſſe dixerunt, quàm ad nos proficiſcerentur. Significarunt enim te ſatis tuta eſſe valetudine, & depulſam febrim, quod quantùm ego læter, tu de te ipſe experire. Sed da operam, ut te confirmes, neque temerè credas recenti adhuc, & quaſi teneræ valetudini; ſcis enim graviùs laborari cum redit, quæ dudum receſſerat ægritudo. Et niſi hujus quidem

valetudinis rationem habuiſſem, non tam æquo animo tuliſſem, nullas abs te fuiſſe tam certis nuntiis ad nos literas datas; neque enim ignoras, quàm facilè mihi δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται (*a*). Poteris tu tamen hæc damna omnia ſarcire, ſi mihi longiori epiſtola dependes præteriti temporis uſuram. At verò nequid me accuſes, cur euntem ad vos Vincentium inanem dimiſerim, ſcito id ejus culpa factum, cui etiam aſcenſuro jam equum mandavi, quàm diligentiſſimè, uti verbis meis tibi coram ſatisfaceret, atque in ſe transferret totum crimen, qui tandiù expectare noluit, dum epiſtolam, quam ad te ei dabam, diſcriberem aliquantò melioribus τοῖς χαρακτῆρσι (*b*). Ità miſera, atque innocens periit, quam fortaſſe, cum hiſce literis miſiſſem, niſi deterruiſſet me quidam pudor; quamquàm ne id quidem feciſſem ſine exemplo: etenim Cicero ad Varronem ſcribens ait, *& ſi erat* ἕωλος (*c*) *illa epiſtola, tamen perire meam lucubrationem nolui, & eam ipſam Caninio dedi.* Non igi-

(*a*) *Aſpera bilis ad nares aſſidet.* Theocrit. Idill. p. (*b*) *characteribus*;
(*c*) *Pridiana, ſeù externæ diei.*

igitur id rectè potuiſſem? præſertim cum mea non eſſet ἕωλος (*a*) ut illa Ciceronis. Sed nimium jocis indulſimus. Accipies cum hac epiſtola nugas noſtras, ideſt omnia, quæ tibi cùmque fueram coràm pollicitus, ea tu ne remittas ſine miniatulis ceris, ut meliuſcula, & emendatior revertantur. Vale, καὶ τῷ Κυρίῳ Ἰησοῦ εὔχου ὑπὲρ ἐμοῦ πολλάκις, (*b*)

DIONYSIO GALLO.

ET ſi quid ſcriberem non habebam, non ſum tamen auſus tot euntibus ad te amicis, nihil literarum dare, præſertim cum tam multi dies, atque adeò menſes effluxerint ſine ulla viciſſitudine literarum, quamquàm utrumque noſtrum hac in re omninò vacare culpa certò ſcio, cum nulla noſtra deſidia, aut incuria id acciderit, ſed potiùs, ex diverſarum quaſi concurſu moleſtiarum. Verùm cavere tamen debemus ne λεληθότως (*c*) nimia mora, & conſuetudo diuturna nihil ſcribendi, callum obducat inertiæ. Quod de te minus quidem, aut potiùs minimè ſuſpi-

 cor,

(a) Pridiana, (b) & Dominum Jeſum ora pro me ſæpius. (c) furtim.

cor, cujus ità benè munita ſunt penetralia, ut in ea ullus torpor invadere non poſſit. Illud ſcio non mediocri tibi eſſe impedimento, quod ſanè ut audivi, permoleſtè tuli, adverſa teneri te, atque infima corporis valetudine, ſed nihil expectandum omninò aliud quicquam eſt, dùm his incluſi ſumus compagibus corporis, quod ego propterea appellatum à Græcis arbitror δέμας (*a*) & σῶμα (*b*) quòd vinculum quoddam, ac carcer, & σῆμα (*c*) animi ſit. Quæ ad mala ferenda mitiùs, maximum video remedium, atque allevamentum, communem hanc cogitare, quaſi legem, & humani generis conditionem; exiguum præterea ſupereſſe curriculum vitæ, præſertim æternitatem ſpectanti, atque etiam eandem nihilò minus expectanti. Sed quid ego hæc ad te, cujus domi naſcuntur? γλαῦκας εἰς Ἀθήνας, (*d*) non quò firmitudinis tuæ eſſem oblitus, ſed utì potius imbecillitati meæ auxilium aliquod abs te peterem, ut qui inopiæ nimiæ mihi conſcius ſum, tuis hac in re difficillima, precibus nitar apud Deum optimum max. Vale. Parmæ VIII. Calendas Octobris.

LE-

(*a*) *Vinculum*, (*b*) *Corpus*, (*c*) *Sepulcrum*. (*d*) *Noctuas Athenas*,

LEANDRO MUTINENSI.

GEminianus noſter, quem ego cùm ob ejus humanitatem, & ſuavitatem ingenii, tùm ob mutuam inter nos benevolentiam plurimùm colo, & diligo, ſignificavit mihi ægrè te admodùm tuliſſe, quòd ei nihil literarum dare poſſes, ob multarum, quaſi fluctus, occupationum. Qua in re amo equidem amorem tuum,& diligentiam, & ſatis perindè mihi factum eſt, ac ſi literas accepiſſem,dignuſque mihi viſus es,cui,tanquàm abs te longior miſſa epiſtola ſit,reſponderem. Gratulor incolumitati tuæ,& bonæ valetudini, quam tibi eſſe audivi ex eodem Patre, & planè,pro eo ac debui, gaviſus ſum mirificè, in tanta morbi veluti colluvie,unum te fuiſſe è paucis, qui ſteterit. Idem, & ego ipſe, quæ ſumma eſt Dei mei in me beneficentia, hactenus ſum aſſecutus. Semper tamen excipio familiarem meum antrum Æoli, & interiorem illum tortorem, qui mihi perpetuus comes fuit;ſed hac eram,meliore quàm cæteri,conditione, quòd præterquàm ipſi mihi, moleſtus eram præterea nemini. Sed hi-

ſce

Digitized by Google

ſce diebus veni in aliquam ſpem, aut ſublatum iri hunc morbum, aut eſſe magna ex parte leniendum, atque de hoc poſtremo quidem benè ſperamus, nam illa altera ſpes non parùm anceps eſt, & incerta, cùm plerique omnem hujus generis malo curationem, deſperent. Omninò benè ſperandi ratio paucos ab hinc dies cœpit, cùm eſſem Brixiæ, & eum virum, qui inter medicos ejus urbis eſt facilè princeps, Jo: Albertum dico, conſulviſſem, is enim poſteaquàm exiguum quid medicinæ adhibuiſſet de more, addidit etiam id conſilii, uti Aſellæ lac biberem, benè manè, cyati menſura, & horarum quatuor intervallo ante prandium. Sed quouſque inquies? huì longum eſt; uſque ad menſes quatuor, niſi fortè ſuæ virtutis vi lac illud tempus anteverterit. Ego intereà ad ſeceſſum meum Turclarenſem cogito, qui locus erit huic rei magis accommodus, ubi vereor ne in Nutricis meæ mores tranſeam, nam magnam eſſe in lacte naturam, ac poteſtatem fertur à Phyſicis. Verùm quid ſi ego eam effecero πολιτικωτέραν; (a) nam perſuaſi jam ei quo primùm die ad nos ingreſſa eſt, uti cum Pul-

(a) *civiliorem?*

Pullo mutaret appellationem, atque id tentavi carmine, quia eorum nationem audiebam multùm præſtare cantu. Sed tu carmen fortè etiam expectas. Age fiet animo tuo ſàtis, dulce enim eſt deſipere in loco.

In noſtros ingreſſa lares mea Aſella verendos,
Mutabis nomen tuque, puerque tuus.
Nempe Galactădra ipſa vocabere, pullus Arìon,
Tu quòd ſortita es paſcere lacte virum;
Ille autem proprio nomen deducet ab uſu,
Nam veſtræ genti jam dedit uſus Arì.

Fortaſſe alia etiam ludere delectabit in illo otio, quæ ſi ad nos venies aliquando tandem, ſimul ridebimus, nam præceptum mihi eſt, utì à ſeverioribus muſis abſtineam, quod vix equidem præſtare potero: nam, ut Theocritus ait, χαλεπὸν χορίων κύνα γεῦσαι. (*a*) Vale mi Leander, atque ad nos (ut dixi) cogita. Parmæ Octa. Calen. Octob. M.D.XXVII.

VITALI MUTINENSI.

Significatum mihi eſt, te Divæ Juſtinæ natalitio die auſpicaturum eſſe D i-

num

(*a*) *difficilè eſt lacteo canem paſci.* Ex Theocrit. Idill. X.

num illud ſacrificium, cujus memoriam ſic repeti voluit, & frequentius celebrari Dominus, & Rex noſter Jeſus Chriſtus, Dei maximus filius, utì ne hominum intercideret, aut aliqua oblivione inobſcuraretur tanta Dei in noſtrum genus beneficentia. Quod quidem munus tametſi non humanam modò mediocritatem, ſed omninò mentes etiam illas ſuperet, quæ omni ex parte fulgidæ nihil permiſtum habent terrenæ fæcis, tu tamen ne propterea deterreare, neque illud magis meditere, quantæ ſimus infirmitatis, atque imbecillitatis, quàm Divinæ Beneficentiæ quanta ſit liberalitas. Quin oportet etiam magno animo, magna munera dantis amplecti. Ego verò cùm præſens adeſſe, & gaudiis veſtris intereſſe minime ſim meritus, rogo te, & oro, utì ſacrificii tempore illo, noſtri ſis memor, peccatorumque meorum in precibus, ac votis tuis. Id ipſum Rector noſter efflagitat. Vale. Turclaræ. VI. Nonas Octobris.

GEOR-

GREGORIO ANSELMO PARMENSI.

Cum mecum ipſe cogitarem de te, deque operibus tuis eruditiſſimis, quod non parum ſæpe facere neceſſe habeo, venit mihi in mentem loci unius in conjectaneis tuis, quo in loco cum mihi ipſe non ſatisfacerem, ipſi exiguum quiddam ceræ appoſuiſſe me memini, ut id poſtea te interrogarem, & quod tunc me latebat, coràm diſcerem. Hanc ergo ceram ſi deprehenderis, ne tu illam Attici miniatulam exiſtimato, quam & Marcus Tullius Cicero pertimuiſſe viſus eſt: quod in illo quidem exemplo non iniquum fuit, nam & in Attico inerat ſua eruditio, at verò in hac re, quid ego poſſem, aut auderem, talpa in lynceum? In altero item loco, ubi inter ornamenta orationis laudas, ſiquidem cum dictiones ab eadem litera incipientes ponuntur in ipſa oratione, ut eſt illud, ſenſim ſine ſenſu, cæteraque in hunc modum, tum ſubiit animum pulcherrimus è Ciceronis Orationibus locus ille, ideſt, *quæ tu omnia tuis ſordidis factis facis*,

Digitized by Google

cis, confeſtimque ego in parva deſcriptum charta appoſui, non quòd exiſtimarem, te locum illum non legiſſe, quid enim omnium non legiſti? ſed ea uſus audacia ſum, qua Filius in Patris rebus auderet. Hæc non eò ſcripſi, quò quicquam diffiderem humanitati tuæ, ſed ut mihi ipſi potius, quam tibi ſatisfacerem. De valetudine tua cupio aliquid audire, quamquam te in dies magis confirmatum iri, & ſpero, & volo, ſed tamen ne nimium crede recenti, & quaſi teneræ adhue valetudini, ſed eam cura diligenter. Vale, & nos ama. V. Nonas Octobris.

N.

CUm primùm ſignificatum mihi fuit Genitricem tuam naturæ communi fato conceſſiſſe, venerat mihi in mentem ea de re aliquid conſolandi tui gratia ad te ſcribere, ſed me prohibuit tamen cogitatio, te eo eſſe animi robore ac mentis firmitate, ut hujus generis perturbationes, in illam arcem tuam, & benè præparatum pectus invadere non poſſint. Et ecce mihi intereà perferuntur literæ ſuaviſſimæ tuæ, quæ & ità rem habere

ſe,

ſe, ut cogitaveram, certiſſimè profiterentur, & aliquid etiam jure ſuo mecum luderent περὶ τῦ ἐπιταφίυ ἀυτῆς (*a*) : de quo tu cum arbitrio meo reliqueris, ac judicio, quid facere vellem, aut deberem, utar ego iſta poteſtate, cum per te mihi omninò liceat, atque ità rem inſtituam, ut omnibus (audeo dicere) placitura ſit, præterquàm tibi fortaſſe uni, qui nimia, qua es animi verecundia, non facilè feres laudes tuas. Sed non ego committam, ut me ab officio deterreat iſta ratio. Erit igitur hæc epitaphii ſententia, utì neque patriam, neque genus, neque hujuſmodi cætera, quis magnopere admiretur, quæ cum innumeris illi communia ſunt, verùm illud unum obſervandum, quod ſine exemplo omninò eſt, quodque ne fingere quidem unquàm auſa eſt fabuloſa Græcia, quamquàm Jovem demiſſum per impluvium in avri ſpeciem in Danais ſinum ſit mentita. Quæris quid illud ſit? quod te enixa eſt (quid averſaris?) avreum partum, & puerum planè Junonium. Elocutionem quidem, & verſus ornatum, & gratiam non à Brixiano, ſed à Mantuano Vate exquiras velim, nihil tamen impedit, & me

effu-

(*a*) *de ejuſdem epitaphio*;

effutire has leves nugas.

Et genere,& Patria,natis quoq; dives,& annis
Paula erat,haud tamen hæc mira Viator habe.
Mirare hoc,partus quòd contigit avreus illi.
Æquari huic tandem gloria quæ poterit?

Fac valeas, meque mutuò diligas, & ad nos cum aliquantùm vacat, proficiſcere. VIII. Idus Octobris.

JUSTINO TICINENSI.

NOvi ego Juſtine aliquot jam annos humanum ingenium tuum, & cùm in communi hominum conſuetudine faciles ubique mores præ te feras, tùm in me amando ſæpius declaraſti liberalem animum tuum, & quandam, quæ omnia etiam longè ſuperaret merita mea, quæ nulla ſunt, obſervantiam. Nunc verò ſic iſta omnia latè patuerunt ex proximis literis tuis, ut nonnulla me etiam affecerint admiratione, cum judicium in illis, & ſententiam efflagites meam de Opuſculo tuo, & propugnatrice Sanctæ Religionis Apologia, quam quidem ad me ſi dediſſes, uti gratularer ſtudio, & exercitationi tuæ, accepiſſem id quàm libentiſſimè, quin ultrò

ultrò egiſſem gratias. Sed cùm me Ariſtarchum tuum eſſe vis, longè erras, mea quidem ſententia, nam bovi clitellas impoſuiſti, & illæ ſanè, non ſunt onus meum. Quid igitur, inquies, tibi à me ſcriptum eſſe fruſtra patiere? minimè id quidem amico homine dignum eſt. Sed velim pro judice, & cenſore, tantùm conſulentem me audias. Et conſilium tamen iſtud mihi ipſe nequaquàm arrogo, ſed à doctiſſimo Viro, & graviſſimo cenſore acceptum, quaſi per manus trado. Is eſt Fabius Quintilianus, qui in eruditiſſimo illo opere ſuo placere ſibi ait Horatii conſilium, qui in arte poëtica ſuadet, ne præcipitetur editio, nonumque prematur in annum; quam ob rem *dabam* (inquit) *iis otium, ut refrigerato inventionis amore, diligentius repetitos tamquàm lector perpenderem.* Hæc tu ſi facies, tuo tibi ſatis erit judicio, & privata lima, neque mei, aut alterius cujuſpiam magnopere indigebis. Credo equidem hæc eadem, & te ſcire, ſed malui ſupervacua ſcribere, quàm nil ſcribendo parum officioſus videri. Vale, & me mutuò dilige. Turclaræ. Idibus Octobris.

LAVRENTIO SAVILIANENSI.

REdditæ mihi ſunt à te literæ eo tempore, cum nihil omnium minus expectarem, atque ob eam cauſam longè etiam fuere jucundiores, etenim cùm ob noſtram inter nos mutuam benevolentiam, & meritò mihi grata eſſe debeant omnia, quę à te proficiſcuntur, tùm verò multò gratiora exiſtimare potes fuiſſe ea, quæ & ſingularem præ ſe humanitatem ferunt, cum ſcripſeris ad nos, non ſine aliqua fortaſſe ægri corporis moleſtia, & non mediocrem ſignificationem faciunt animi tui erga ſtudia literarum, cujus quidem ſignificationis, haud ſcio, an quicquam mihi optatius afferri poſſit. Nam, quod prætereà addis, utì ne tibi vitio detur, propterea quòd nihil dum ad me ſcripſeras, atque de ea re veniam etiam petis, nimium tu quidem jam humanus es, & vereor, nè crimen hoc in me ſit potius retorquendum, qui illam ægritudinem tuam, & infirmam valetudinem non aliquo literarum ſolatio allevarim; ſed ſpero, qua es animi facilitate, fore, ut & tu boni conſulas, quod & ipſe

ipſe à me idem poſtulas, & quidem præſtabo quàm libentiſſimè. Reliquum illud eſt, ut valetudinem tuam cures diligenter, & me, (ut facis) ames. Vale. VII. Calendas Novembris. Turclaræ.

BERNARDO TICINENSI ABBATI.

CUm eodem penè tempore ſignificatum mihi fuerit, Pater optime, & te revertiſſe incolumem, & mox præclariori, & magis excelſo collocatum loco, Patrumque & Abbatum numero adſcriptum; faciendum mihi eſt una epiſtola, quod duabus preſtandum erat, ſi longiora fuiſſent temporis intervalla; utì primum videlicet incolumitati gratuler tuæ, deinde, dignitati dicerem, niſi inſtituti mei me ratio prohiberet, ut neque gratulandum tali de re cuiquam exiſtimarem, neque eam rem magni unquam eſſe ducerem, quæ onus potius ſit, & quidem perſanè grave. Illud verò tutius lætari poſſum, & rectius, quòd is electus eſt adjutor, & particeps gerendæ Reipublicæ noſtræ, qui operam ſuam, navitatem, animum, indu-

ſtriam, cæteraque omnia, quæ ad hoc ſpectant, quàm integerrima ſit allaturus, neque refugiendo commiſſurus ſit, ut detrimentum aliquod Reſpublica accipere poſſit. Sed tuam ego vicem doleo, qui exiguam partem per ætatem florentis illius quondam, & ſanæ, ac ſalvæ Reipublicæ noſtræ, guſtare potuiſti. At incidiſti in ea tempora, in quibus plurimum ineſt moleſtiarum, & ſolatii minimum. Quare majori opus etiam erit conſilio, & prudentia, & vigilantia, quæ quidem omnia tibi minime defutura certò ſcio. Sed ſatis hæc, & nimis fortaſſe multa. Ego verò ad me aliquando veniam; ob tua, quæ plurima habes merita, ea nunquam obliviſcar me tibi debere, quæ ſi referre potuero, non committam profectò, ut homo parum grati animi fuiſſe videar, non enim gratiæ immemor eſſe gratus poteſt. Tu interea, ut me diligas, ſi mutuò me facturum ſcis, rogo. Vale Turclaræ. Pridie Idus Novembris.

GEMINIANO MUTINENSI.

SIquid uſque eſt Geminiane in humanis rebus, & mortali hoc in rerum ſtatu, quod

quod expetendum ſit, is unus eſt mea ſententia, qui ex amicorum conſuetudine fructus percipi ſolet. Verùm hac etiam in parte tam exiguus eſt iſte fructus, preſertìm apud homines ordinis, atque inſtituti noſtri, & in hoc vitæ genere, ut ſatiùs plerumque ſit nullam omnino conciliare amicitiam, qua ubi eam primùm inſtitueris, ſubitò carendum ſit. Hæc ut mecum ipſe quererer, tua iſta neceſſitas demigrandi fecit: cujus mihi quàm fuerit jucunda conſuetudo, & illa, quæ in parum multis invenitur comitas, & animi facilitas, tu ipſe ſcire potes. Adde ſtudium idem, & eundem amorem, nec diſparem ſtomachum in bonas literas, quibus rebus ita erga te affectus eram, & quidem nunc ſum quàm maxime, ut diſceſſum repentinum hunc tuum tàm vehementer doleam, quàm quod aliquando vehementiſſime. Sed hæc, quæ mutari non poſſunt, fortaſſe prætermittenda ſunt. Illud igitur potiùs addam, me, dum vita ſuperabo mea, tuæ in me benevolentiæ, charitatis, ſtudii, perpetuam mecum habiturum eſſe recordationem; tu verò quid tibi de me polliceri poſſis, te minimè ignorare arbitror, cum te

Parentis numero habeam, & in omne tempus ſim habiturus. Nunc à te, id quod ſueſti, non quod de tua conſtantia dubitem, ſed quia mos eſt ità petendi, peto, ut me mutuò diligas. Vale. Turclaræ. Pridie Idus Novembris. M.D.XXVII.

BERNARDO TICINENSI ABBATI.

EGo verò mi Pater non ea modo, quæ ſperare ab amicis unquàm uſque poſſum, omnia tibi libens promitto, verùm, ſi quid eſt præterea in iſta mea paupertate, & inopia, quod à te optari poſſe conjectura aliqua intelligere poſſim, illud ego tibi ſponte, ne petenti quidem, optatiſſimè oblaturus ſum. Atque ad id ſanè perficiendum non natura magis mea, quæ nunquàm eſt liberalitatem aſpernata, invitat, atque ideo impellit, quàm humanitate plenum officium tuum, cum in literis tuis omnium rerum tuarum dominum ſtatuis, & liberum poſſeſſorem. Pro qua tam benigna animi inductione, velim ità tibi perſuadeas, cum nullam ad amorem erga te meum acceſſionem fieri

Digitized by Google

fieri putarem poſſe, longè etiam majorem hac de cauſa acceſſiſſe. Hæc erit igitur rei ſumma, ut & Sabellicum per me tecum habeas, & Iſidoro, qualis illecùmque eſt, utare pro tuo. Vale. Turclaræ. XVII. Calendas Decembris. M.D.XXVII.

GEMINIANO MUTINENSI.

QUod de Sabellici hiſtoriarum volumine ad me ſcribis, rectè opinatus eſt Benedictus, nam illud eſſe arbitrabar ejus, qui vita functus eſt, atque ità mecum ipſe cogitabam, fore ut in alicujus manus incideret, qui ipſo uti neſciret, relinqueretur que miſellus liber tineis conficiendus, & pulvere. At verò nunc cum tuum eſſe cognovi, ità vivam, ut neſcio, an meum eſſe malim. Quid verò ad me de eodem libro ſcripſerit ὁ νέος (a) Abbas Bernardus ſcire te minimè dubito, quia cum tuis literis illius etiam conjunctum erat chirographum; quarè quidquid inter vos convenerit, idem ego totum probabo. Brevior in ſcribendo propterea ſum, quòd ocyus in viam ſe dabat, qui literas perferebat. Ergo ignoſce. Vale.

(a) *novus*.

Turcl. XVII. Calendas Decembris.

HONORATO CLARIO.

INcipit me jam ſuppudere, qui cum latinas pleraſque literas iſtuc dederim, omnes (tibi at cui viro! & quam latinæ eruditionis, & politioris ſermonis ſtudioſo!) vulgari hac, & patria lingua ſcripſeram. Sed conſilium meum tibi probatum iri planè confido, ſpero quidem certè; nam & tu tam variis occupationibus, & iis per ſanè moleſtis, & ingratis diſtraheris quotidie, ut vix epiſtolam meam legere vacuum ſit, nedum provocanti reſpondere poſſis. Et ego familiares quaſdam res in hiſce literis poſtulabam, quarum ea erat ruditas, & impolitia, ut non facilè prodire, & in latinam ſe ſe dignitatem inſinuare auderent. Quod tamen ipſum etiam experiri hodie mihi neceſſe eſt; nam benè manè adiit ad me Martinus ex familia noſtra ſervus, & fractum ſuperiore eſſe nocte cyathum illum ſignificavit, quem ego mecum à vobis proficiſcens attuleram, hauriendo Nutricis meæ Galactandræ Aſellæ lacti accomodatum, quem eò gravius caſum

tuli,

Digitized by Google

tuli, quòd ea erat forma, & capaci menſura, ut quarta ferè parte, & plus eo, ut conjicio, ſuperaret cyathum, quem tu poſt miſeras. Quare tibi mittendus eſt omninò alter, ſed aliquantò major, ſi fieri poteſt, ſin minus, certè cujuſque modi poterit, ut ſi is etiam qui reliquus factus eſt, in mures inciderit, ut illæ alter, non deſit tamen havriendi commodè lactis facultas. Curabis præterea, ut ſacrandæ hoſtiæ ad nos mittantur, quarum ferendarum thecam, puero dedimus. Vale mi Honorate, vale, & ſalve, & meum Benedictum decies millies ſalvere jube: cujus amor tantum mihi creſcit in horas, quantum vere novo viridis ſe ſubjicit alnus; nam id illius probitas, & ſuavitas morum, & jucunda conſuetudo, & ſtudium ardens in bonas literas meritò ſibi vindicat. Turclaræ. XVII. Calendas Decembris.

N.

NOvo quodam mihi nunc orationis genere utendum eſt, in his literis, ut tibi gratuler de hoc decreto tibi ex Senatus conſulto magiſtratu, quod quidem apud me

eſt

eſt hactenus inſolens gratulandi genus. Sed rectiùs fortaſſe fuerit, ſi ne nunc quidem à me diſcedetur ab inſtituta mihi ipſi lege. Sic igitur faciam, atque id erit, ſi non tibi, ſed mihi, & univerſis noſtris gratuler; quibus non, quæ minimè expectaviſſemus, contigerunt, ſed ea, quæ longè ante quidem, & præviſa fuerant, & ſperata, atque optata etiam, verùm non credita fortaſſe tàm tempeſtivè affutura. Neque verò opus eſt aut meo, aut cujuſque alterius hortatu, utì ea pares, meditere, cogites, quæ omnium expectationem expleant, quamquàm ea à te expectentur, quæ ab homine, ſumma prudentia, ſummoque ingenio, ac virtute expectanda ſunt. Et hæc ipſa cura eſt tibi gravis, adverſaria conſtituta, & parata. Sed (ut dixi) non opus eſt monitore, nam quæ αὐτόχθων (a) eſt in homine ſuavitas morum, & integritas, nulla eam viciſſitudo inobſcurare poteſt, nedum de gradu ſuo deturbare. Sed cave ne in te nova incedat religio, quod ne ſcribere quidem auſus eſſem, niſi fuiſſent, qui id eſſent ſuſpicati, de recuſando hoc officii munere; quam cogitationem equidem ſcio egregiæ mentis

(a) *ingenitè.*

mentis eſſe, & altiſſimi animi, ut contrà, illam ambitioſæ appetitionis, infirmiſſimi ſenſus, & cordis ignobiliſſimi; ſed velim recordere, non cuivis tempori eandem virtutem eſſe accomodatam, videndumque eſt præterea diligentius, ne quam tu exiſtimes humanarum rerum contemptionem, in ea lateat privatus quidam amor ſui, & propriæ tantùm quietis ſtudium. Cauſas ego alias, & plures prætermitto, & graviores, ne aut videar aliquid dare tuis avribus, aut γλαῦκας 'εις 'Αθήνας. Vale. Turclaræ. XIV. Calendas Decembris M.D.XXVII.

BENEDICTO SAVILIANENSI.

VIdebar mihi parum dare amicitiæ noſtræ, & illi amori, quem virtus tua, & integerrimi mores, inter nos ingentem, & penè ſingularem conciliaverunt, ſi, cum iſtic aliquot dies commorere, nihil ante profectionem veſtram ad te literarum darem. Accedit eodem epiſtola tua, quam etſi tu non de more miſiſti, ſed coram ipſe obtuliſti, non debet tamen ea res propterea tibi fraudi eſſe, quò minùs ei ſit reſpondendum;

præ-

præſertim cum pleniſſima eſſet benevolentiæ,& charitatis in me tuę,illius quidem jamdiu mihi notæ, ſed neſcio quomodò jucunda eſt ipſa repetitio, & commemoratio amoris etiam manifeſtiſſimi; quem ego mi Benedicte cumulatiſſimè abs te mihi perſolutum exiſtimabo, ſi eam tibi viam munire pergas ad virtutem, & probitatem, quam te dudum inſtituiſſe animadverto, & mirificè etiam gratulor. Quare perge, & continua opera, eandem incudem tunde, dum bona ætas, quàcumque ingredieris, & animus, & ingenium, opes ſuppeditant ſuas. Neque te deterreat rei magnitudo, aut difficultas, etenim pridie tu quàm à nobis diſcederes, legiſti, pulchra eſſe cognitu difficilia, & Hæſiodus, græcè ille quidem, ſed ego latinè dicam, ſic de virtute ait;

Virtutem poſuere Dii ſudore parandam;
Arduus eſt ad eam, longuſque per ardua callis,
Aſper & eſt primùm, ſed ubì alta cacumina tanges,
Fit facilis, quæ dura fuit prius inclyta virtus.

Hæc tute melius, quàm ego adhortatione, proſequi poſſim, tecum meditabere, & re conſequere. Reliquum illud eſt, ut, quod

te ſa-

te factum minimè dubito, mutuò me diligas, & ad peccatorum meorum veniam aſſequendam me votis, & precibus tuis adjuves, & aſſiduè Deum opt. max. compreceris. Vale. XIII. Calendas Decembris. Turclaræ.

N.

TIbi gratulor mi optime Præpoſite, & prudentiæ tuæ, mihi verò gaudeo, qui quidem jam incipio ſanè eum fructum capere ſic abſens, quem tum demum, cum pręſens adeſſem me percepturum ſperaram. Et niſi nutricis meæ Galactandrę jamdudum me lac detineret, ego verò jam iſtuc advolaſſem, neque commiſiſſem, ut pluris apud me eſſet otii, & ſolitudinis ſtudium, quàm fructus jucundiſſimæ conſuetudinis tuæ. Te enim non ſtudioſum modò ſtudiorum meorum, ſed adjutorem etiam cùm ſæpe alias expertus ſum, tùm nuper longè magis, cum profecturus Venetias, quos libros cùmque petiſſem, tàm comiter, & humanè te mihi curaturum recepiſti, de quibus quomodo res acta ſit, per inquam gratum feceris, ſi ante etiam ſignificaveris, quàm ipſi ad me perferantur. Sed, quod ad otium meum pertinet, injecit mihi ſcru-

ſcrupulum Honoratus noſter, atque adeò metum, ne parùm mihi liberum futurum ſit frui eo otio, etenim me in ſuis literis ſocium appellavit, & adjutorem odioſæ illius procurationis; quæ res quo jure, quave æquitate agi poſſit, ſatis diſpicere non queo. Nam profectò, ut ne in præſentia commemorem, quantùm tibi ipſe injurius ſis futurus, ſi, quàm evaſi hactenus moleſtiam, eorum beneficio, quibus tu in hujus adminiſtratione officii ſucceſſiſti, in eam nunc imprudens pertrahar, te aut ſuadente, aut agente, aut ſaltem ferente. Quanquàm id non mediocrem vim habere debuerat in hac cauſa; ſed tamen, ut dixi, id totum abjudico, atque rejicio. Quis illud unquàm uſque probaverit, ut in medio curſu hujus curationis meæ revocer, & abducar, præſertim in tam periculoſa, & moleſta valetudine, cujus nunc ſi non tollendæ, quod ut fiat magis optandum eſt, quàm ſperandum, certè leniendæ, aut nunc tempus eſt opportunum, aut futurum numquam eſt? Si quid ego aliqua alia ratione de privatis commodis contenderem, vix auderem te levi aliqua oratione compellare, ità publicis utilitatibus privatas meas

omnes

omnes res antepono, verùm ubì de ſalute, & incolùmitate agitur, nihil neque tibi, neque optimo cuique videri debeo à recta ratione declinare. Nec verò is ſum, cui frænum mordere, quod dicitur, & proprio vivere arbitrio placeat, unquàmve placuerit, quìn totum me, cujus tot abhinc annos prudens, & volens jus mihi ipſe abjudicavi, integrum tibi dedo, ſed hæc eò ſcripſi, ut hujus te tam iniquæ rei facerem certiorem. Quare te obteſtor, atque obſecro, ut me totum tuendum ſuſcipias, atque ità peto, ut majore ſtudio, juſtiore de cauſa, magis ex animo, rogare nihil poſſim. Quod ſi ut ſpero, efficies, quietem omnem, & incolumitatem meam benevolentiæ tuæ adſcriptam referam. Vale.
Turclaræ. Calend. Decemb. M.D.XXVII.

JO: ALBERTO SERINÆ BRIXIANO MEDICO.

NE parùm memor fuiſſe videar tui mandati, id ego nunc præſtabo, quod à te coràm fueram admonitus, atque in medio curſu, quæ ſit ratio, & progreſſus curationis meæ, quàm breviſſime potero, explicabo.

Ego

Ego circiter Idus Septembris lacte Aſellæ ita uti cœpi, ut à te fuerat conſtitutum; verùm ſeptimo quoque die, divinæ rei faciendæ gratia, aut aliqua alia quandoquàm cauſa intermiſſus eſt unus, & alter interdum dies, rariſſimè quidem tres, cæteris verò diebus non deſii perpetuare lactis hauſtum, eo tempore, ordine, menſura, modo, quibus mihi mandaveras faciendum. Has quidem literas ſcribebam quinto Iduum Decembris, quare facilè colligere poteris, quantùm temporis ſit, cum potari lac à me cœptum eſt ideſt tres menſes, aut non multò ſecùs. Atque, ut nunc quidem eſt, ſentio non parùm profectum eſſe, ſi ad ea tempora reſpicio, quibus me vis morbi hujus vexabat accerrimè, ſed tamen multùm adhuc video ſupereſſe, quod curandum ſit, etenim ſæpe me ventoſæ illæ cauſæ exagitant, & implicitæ inteſtinis moleſtiæ, quæ tamen non ità mihi opprimunt ſenſus, ut olim; qua ex re facile colligo, poſſe adhuc aliquid profici. Itàque ſtatui ipſe mecum, & ſi quatuor mihi duntaxat menſes præfixiſti, producere id tempus, uſque ad Quadrageſimæ caput, niſi quid à te ſecùs, atque ego decreverim, imperatum

fuerit

ſuerit. Quare quæſo te, atque obſecro, ut, cum otium fuerit, aut potius cum pauciora minoraque te negotia vexaverint, non dedigneris mihi ſignificare, quid agendum ſit, aut ſi, quod maximè vereor, poſt etiam hauſtum lac, reliquiæ aliquæ ſuperfuerint, quæ mihi ſit reliqua adhibenda curatio. Hoc te vehementer etiam, atque etiam rogo, quod ſi feceris, videbis apud gratum hominem te beneficium poſuiſſe. Vale.

N.

ET ſi venerat mihi in mentem ſatius eſſe ad te nihil omninò ſcribere, quàm ad tam iracundas, ne furentes dicam literas reſpondere, tamen ne fortè, hoc etiam aliorſum acciperes, atque ego facerem, mutavi ſententiam. Itàque ſcribam, ut quid me deceat magis, quàm quid tu mereare, rationem ſim habiturus. Nihil opus erat, ut mihi tam longis verborum ambagibus Eraſmum commendares, cujus ego eruditionem, literas, ingenium, aut amare, aut negligere, non ex tuo, aut meo, qui ſanè exigui nimis ſumus, ſed ex doctorum virorum judicio

 debeo.

debeo. Sed viſum mihi eſt monſtro perſimile quid ſit, cur in me tam acriter invehi, atque adeo evomere auſus ſis, tam parùm modeſtè quidem mea ſententia, & minimè amicè, inter alia, hæc etiam; *apage*, inquis, *qui ob livorem invidiæ obcæcatus, huic magno detrahis Viro*. Quæ verba, & ſi ità compoſuiſti, ut in eis figurata eſſe poſſit oratio, ut perſona illa generatim accipiatur; tamen neceſsè mihi eſt in me dictum ſuſpicari, ac, ſi fallor, arbitrare me prò aliis reſpondiſſe. Equidem ità ex eruditorum virorum ſententia didiciſſe me arbitror, inter pares invidiam oriri, at verò inter tam diſſimiles, quæ ratio creare invidiam hanc potuerit ſcire ex te perſanè velim. Et ego, ſi pertentaret me inanis cupido gloriæ, arbitrarer ipſe mecum tandem aliquid me eſſe, qui apud te in ſuſpicionem, atque adeò crimen hujuſmodi invidiæ vocer. Quare ſi is es, qui & fuiſti in me, & eſſe debes, evelle, obſecro te, hunc mihi ex animo ſcrupulum, & apertius loquere, nam Davus ſum, non Oedipus. Ego ſi inter familiares, quid de Eraſmo tuo ſum interdum locutus, quod delicatas avres tuas offendere potuiſſet, tum ferè dixi, quod dici

à Do-

à Doctis de eo ſolitum ſit; at verò cum de meſcire aliqui vellent, quid ipſe ſentirem, tùm me ſupra crepidam non audere profeſſusſum, præter unum opinor, quod de ejus orationis filo à me dictum aliquando eſt, neque me pœnitet, & ſi utì res illa ſe habet, expoſuiſſem, tute faterere. Itaque erit per me quidem tibi tuus integer Eraſmus, atque in eo, in quo tibi placuerit loco collocetur. Sit unus, ut ais, in quem exercuerit natura ſuas vires omnes, & univerſa bona congeſſerit, & ut ſit amplior accipiendis his bonis locus, unus ſit vitiorum omnium, peccatorumque expers, & liber omnino, mentianturque in hoc uno divinæ literæ ſcilicet, ut demus quidquid vis tuis avribus tenellis, & delicatulis. Quid vis amplius? Ecquis in hac parte munificentior me inventus eſt? Sed tamen & illud, quod me penè fugerat, adjicies, ſi voles; interdicatur M. T. Ciceroni aqua, & igni, ut elocutionem Eraſmi omnes diſcant, id enim videris ſignificare voluiſſe, in tuis glandibus, & frugibus, ut qui hactenus, horrida glande vixerunt, inventis nunc demum aſſueſcant frugibus, neque id multum erit difficilè factu, nam apud eumdem Ci-

ceronem, cujus eſt illa à te poſita ſimilitudo adjungitur; *An victus hominum Athenienſium beneficio excoli potuit, oratio non potuit?* Tu verò interea velim recordere, licere interdum de ſummis etiam viris, & præſtantiſſimis hominibus, aliqua dicere, quæ minus grata ſint omnibus; nam varia ſunt judicia omnibus de rebus, ut in picturis non facilis eſt explicatio, quæ forma maxime excellat, cum alios horrida, inculta, abdita, & opaca, contrà alios nitida, læta, colluſtrata delectent. Volo etiam te meminiſſe, oportere eum Oratorem, qui auditoris animum in quam partem cumque volet, movere poſſit, ità temperare orationem, ut velle videatur per ſe homines in ſententiam ire, non invitos & abeuntes obtorto collo quaſi ad tribunal trahi. Extremum erit quod te admoneam, ne magiſtro tuo Eraſmo pudorem aliquando facias, ut caſtè illius exemplo, & latinè loquare. Nam quod ad me illius inſaniam, ſivè Moriam, id ſignificare de te audio, dediſti, etſi non ea mihi reddita erat cum hæc ſcribebam, neque quis eam interceperit ſciebam, tamen perinde ago gratis, ac ſi eam accepiſſem. Multi tamen anni ſunt cum eam
legi

legi, ſed, ut dixi, gratus mihi eſt tuus animus. Non peto à te, ut mecum poſthac agas temperatius, nam id optimè tute ſcis, & video hæc tibi non ex odio (quì enim poteſt?) ſed ex iracundo ingenio excidiſſe. Vale, & Theodorum meum plurimum commendatum habe, ſciaſque quibuſcunque officiis illum obſtrinxeris, iiſdem me tibi obligatum fore; quem quia me referre dicis forma, & vultu illud etiam adde, & in nomine plurimum eſſe ſimilitudinis. Sed cogita tamen πότερον φανερῶς (a) decuerit ἢ σκολιαῖς ἀπάταις (b). Omnia hæc mi à me amice dicta cognoſces ſuo tempore, cujus temporis, veritas filia eſt. Iterum Vale. Turclaræ. Idibus Decembris. M.D.XXVII.

HONORATO CLARIO. συμμαθητῇ. (c)

PAtere, quæſo Honorate ſuaviſſime, ut quam mihi legem ipſe præfixeram, eam nunc impunè, & ſine ſuſpicione mutabilis animi, negligere liceat, quæ reſtituetur poſt hanc epiſtolam, ſi tibi videbitur, in ſedem

 ſuam,

(a) *utrum apertè.* (b) *implexis deceptionibus uti.* (c) *condiſcipulo.*

ſuam, & jus ſuum retinebit. Etſi enim apud me decreveram, nihil latinè ad te tamdiù quicquam ſcribere, dùm eſſes hìc quotidianis veſtris ſollicitudinibus, & moleſtiis odioſis impeditus; fecit me tamen res nova, ut mihi quidem videtur, atque adeò admiranda, mutare ſententiam. Qui naturam rerum atque animalium ingenia, ſtudia, mores, ſunt perſcrutati, id eos inter animalia omnium proprium, & ſingulare ſuibus dediſſe video, ut animam pro ſale accepiſſe videantur, nihil ut aliud efficiat in eis anima, ſenſus, aut rationis veſtigium, quam utì ne putreſcant eorum carnes animæ viribus. In hoc ego tàm bruto animante animadverti, vis conſuetudinis, & quaſi quotidiani convictus, quanta ſit. Erant gemini, & germani ſues, qui cùm ad nos deducti eſſent, fœmina retenta, mas eſt remiſſus ad gregem. Poſt duos verò menſes, & eo amplius fortaſſe, porcorum grex Hilarioni adducitur annuæ diviſionis gratia; illi obſtrepere, & grunnire de more; fœmina, quæ in ſua immunda area ſecreta (ut noſti) longè latebat, dedit, & ipſa ſonum ſuum. Quid queris? nihil minus curabant ſues reliqui, cùm germanus ſus recta accur-

accurrit atque utriuſque pari nixu perfracto oſtio, fit ei obvia ſoror gratulabunda, quæ ubì hoſpitem germanum comitata eſt per hortum, & pratum, & quà patet muri ambitus, eundem rurſus ad ſuum hoſpitium deduxit, atque ibi communem ſibi ambo victum ſtatuere. Ego hanc illorum benevolentiam, neque ſanguinis cognatione comparatam, neque laſcivi amoris etiam illecebris, facilè tibi probare poſſem, niſi tibi id conjicere facilè eſſet. Illud perfecit omninò ſola ratio conſuetudinis, & ſuperioris temporis ſimul acta vita, ut ſuppeteret memoria, & ut tantùm exaudita voce, & ſono, veniret tam hebes animal in ejus rei recordationem, in quam magna hominum pars magnis, & plurimi temporis beneficiis obligata, venire plerumque non ſolet. Hæc ut ſcriberem mi Honorate, cùm res per ſe digna miraculo invitavit, atque adeò impulit, tùm vèl maximè amicitiæ ſummæ noſtræ recordatio, quam tanto fovere diligentiùs debemus, quantùm illa etiam videmus animantia eam agnoſcere, quæ penè ſenſu carent. Vale, & mutuò me (ut facis,) ama, &c.

HONORATO CLARIO CONDISCIPULO.

EPiſtola tua, quam eò minùs expectabam, quàm ad te ſcripſeram, ut incommodo tuo nequid faceres, id mihi ſignificare velle viſa eſt, ſuperiori legi non modò derogari, ſed eam omninò tuo judicio eſſe abrogandam. Quare cum à te plus multò factum ſit, quàm à me poſtulatum, ſequar voluntatem tuam, ſcribamque frequentiùs, præſertim ſi mihi materiam ſuppeditabis, & ſcripto aliquo laceſſes, nam faciliùs, libentiùſque reſpondere ſoleo, quàm provocare. Sed velim integrum ſemper ſit tibi, latina ne uti, an Patria lingua malis. Nunc venio ad epiſtolam tuam, in qua illud primùm, quod molli me brachio objurgas, nimis frequenter de Aſella, & pullo à me mentionem fieri, & ſues etiam addis, de quibus ſemel dumtaxat, idque admirandæ rei tantùm gratia ſcripſeram. Ego poſteaquàm hùc conceſſi, nihil cuique unquam, neque de Galactandra nutrice, neque de pullo Arione, per literas ſcripſi, neque priùs etiam, quàm à te diſcede-

rem,

rem, ad quenquam, memini præterquàm ad te unum hac de re literas dediſſe. Quod ſi ea fama eſt, quæ etiam Venetias uſque, ut ais, profecta ſit de nutrice mea, ego verò non ſolùm facilè patior, ſed etiam gaudeo, & ſi ex curatione ea incolumitas ſequetur, quam valde vehementer expectamus, enitar viribus omnibus, ut genus eorum ea ignominia, quæ ab hinc tot annos illis inuſta eſt, liberetur, quam ſi ignoras, cum & pervetuſta, neque ſatis omnibus ſit vulgata, quàm potero breviſſime, enarrabo. Ferunt fabulæ (quod & poeta Nicander in primis attigit) homines petiiſſe olim juventam à Diis, eamque ubi accepiſſent, Aſello ferendam impoſuiſſe, & aſellum ſitientem de via in vicinum fluvium divertiſſe, cujus fluvii ſerpens cuſtos eſſet. Negavit ſerpens ſe facturum Aſello poteſtatem bibendi, niſi ejus quod geſtaret ſibi pretium perſolviſſet. Ignorans ſtultum animal, quanti illud intereſſet, devoluit onus, ideſt juventam, atque id cauſæ eſt, quod Anguibus *exuitur tenui cum pelle vetuſtas*, cùm interea homines ſenectute conficiuntur, ſuæque ignaviæ dedunt pœnas. Hæc illa ignominia eſt, quam adhuc Aſino-

rum

rum ſecum natio fert injuncta fortaſſe, ſed fert tamen, à qua ut liberentur aut nunc oportunum tempus eſt, aut quandò id ſit futurum non video. Verùm ut in jocoſis etiam rebus lucrum aliquid faciamus, vide mi Honorate, & perſpice, quàm facile ſub hac nube fabulæ, deprehendi poſſit, id quod verè deſcriptum eſt à ſacris literis de ſerpente, & muliere noſtra omnium parente. Sic nimirum tanta eſt veritatis vis, ut fabulis etiam, quæ plurimum mendacio innituntur, neceſſe ſit ſæpius conſentire. Vale.

Obſignata jam epiſtola, priuſquàm haberem, cui darem, ecce tibi recentes à te literæ, quæ & ſi nihil, quod mihi ignoratum eſſet, ſignificabant (quid enim mihi exploratius eſſe poteſt, quam tuus in me animus?) tamen ipſa rei manifeſtiſſimę commemoratione, me in majorem modum delectaverunt. Deus bone quanta eſt in mutua benevolentia, veroque amore, jucunditas! Narro tibi, nunquàm, neque tàm contracto, neque demiſſo, aut depreſſo moleſtia animo ſum, quìn, cum à te literas eſſe audio, repente vultum diffundam, hilariſque fiam. Sed fortaſſe minus neceſſarius eſt iſta commemorandi

locus,

locus, quare ad literas nunc revertor tuas. Quod me iſtuc invitas, nullam rationem, quę animo meo faciat ſatis, inire valeo, qua non mihi ſit neceſſe tamdiu hinc, non recedere, dùm havriendo hoc lacte occupatus ſum. Facilior verò multò erit tua ad nos proficiſcendi ratio, cùm id nullo penè negotio facere poſſis. Nam quod petis, ut ad Honorium ſcribam, quis hoc te melius impetrare poteſt, ab amico præſertim, & ſocio? Verùm ſi mea quoque opus fuerit ſcriptione, ego idemque libentiſſime faciam, prius tamen literas tuas expectabo. Vale iterum, & ſalve. Turclaræ. Decimo Calendas Januarii. M.D.XXVII.

JOANNI BAPTISTE MANTUANO PRÆPOSITO.

Parva dari dices tibi xenia, novimas; at tu,
Nam dare quę poſſis grandia χρυσογόνῳ; (a)
Tu ſi parva dabis, poterit locus eſſe querelæ
Reddere namque decet grandia χρυσόγονον.

SIM-

(a) χρυσογόνος *aureus partus.*

SIMPLICIANO MONACHO.

Quaſi divinares, me ad te aliquid datum fuiſſe literarum his diebus, ità tu literas meas antevertiſti. Quod quidem, etſi optabam, quanta apud me tui memoria eſſet prius ſignificare, quàm ad me aliquid ſcriberes, fuit mihi tamen longe gratiſſimum. Et per ſe quidem, quicquid ad me ſcriptum eſſet, quod à te proficiſceretur futurum mihi erat tantæ jucunditati, quanta percipi maxima poteſt ex amici literis; verùm major multò, quàm a me dici poteſt, facta eſt acceſſio, ex illa ſingulari grati animi ſignificatione, & memoria noſtri tua, quam ego quidem cumulatam tùm demum abs te accepiſſe prædicabo, cùm pro me (id quod te etiam facere non diffido, ſpero quidem certè) aſſiduè immortalem Deum comprecabere, hunc inquam, qui hodie parvulus datus eſt nobis, & hominum genus non eſt aſpernatus. Aſpernatus autem? imò, (o cæcos, & ingratos mortales!) carnem, & imbecillitatem noſtram atque omnia ſuprema opprobria quasì amplecti, & ignominiæ ple-

nam

nam mortem oppetere non eſt dedignatus. Hunc igitur tu, atque tui ſimiles, facilem mihi reddere poteritis, & mitem, qui per ſe tam ſuavis,& plenus humanitatis,& clementiæ eſt. Hactenus iſta de me, at verò, quid ego de epiſtola ſuaviſſima tua dicam? in qua humanitas, elegantia, eruditio, candor ſingula primas ſibi vindicant. Omni tibi aſſeveratione affirmo,quòd mihi credas velim, quem tute ſcis minimè ſolere eſſe blandum, illam epiſtolam ſic Tullianum dicendi ſplendorem fuiſſe imitatam, ut quam ſpem jamdudum de te animo conceperam, ea nunc ex his tuis literis mirificum apud me acceperit incrementum. Quare fac mi Simpliciane, quod facis, & in epiſtolarum familiarium Ciceronis familiaritatem benè penitùs te dede, quamquàm ſubodorari in ea epiſtola viſus ſum, te minimè ſuperioribus his diebus eas neglexiſſe; quas cùm legeris, tùm illas alias ad Atticum aggrediere, quod quidem volumen cum eo tempore abs te petiiſſem, quo tua te invaletudo divexabat, nunc cum incolumis effectus es, primo quoque tempore ad te mittam, cum ſignificaveris te eo uti velle. Nam quod de reditu meo vis me cogitare,

gitare, ego verò frequenter cogito, neque ulla magis alia ex cauſa, quàm ut veſtra amicorum conſuetudine de more fruar. Sed ea eſt ratio curationis meæ, ut neceſsè omninò ſit me ità confirmari, ut acta egiſſe ne videar, & fruſtra elaboraſſe. Tu interea, ſi vis ut mutui deſiderii minus nos cura ſolicitet, ſcribe ad nos frequentius; ſi nil aliud, certè quicquid in buccam venit. Eſt enim quædam λεσχη (a) (inquit Cicero) quæ habet, etiam ſi nihil ſubeſt, collocutione ipſa ſuavitatem. Plurimam ſalutem ex me dices nominatim veteribus noſtris Academicis. Sed ò Academiam volaticam & in hac parte etiam ſui ſimilem, incertam videlicèt, & inſtabilem! Ut illa in ſomniis, ſimillime hæc eſt in ſtudiorum perſeverantia. Vale. Octavo Calendas Januarii. M.D.XXVII. Turclaræ.

HONORATO CLARIO.

CUm his diebus, quæ Saturnalia priſci appellavere, nunc verò longè melius, & ſalubrius nomen accepere, ea ſit conſuetudo, ut quiſque familiaribus, & amicis, miniſtris

(a) *Sermocinatio.*

ſtris etiam, & ſervis aliquid elargiatur, benevolentiæ conſervandæ gratia, velim, ut in hunc Martinum noſtrum ex familia ſervum, ità te munificum exhibeas, ut intelligat meam commendationem non parvo ſibi apud te uſui fuiſſe. Agerem tecum pluribus verbis, niſi mihi jam bonis temporibus exploratum eſſet, tibi, quæcumque grata mihi futura eſſe exiſtimares, omnia ſolere eſſe majori curæ, quàm mihi ipſi. Huic ad nos redeunti, volumen illud epiſtolarum mearum dabis, atque in eumdem etiam faſciculum addes eas epiſtolas, quas olim à Doctiſſimis viris ad me datas, iſtic reliqueram proficiſcens. Id quæſo diligenter cura, ut nequa deſit. Vale, & huic parvulo, qui hodie natus eſt, nobis, pro me pia vota, & preces offer.

HONORIO, ET HONORATO.

Honori tibi mittimus, tibique
Honorate, viri pares amore;
Dona mittimus Hoſpitaliorum,
Parvi parvula, vos tamen poteſtis
Dites ditia ferre, magna magni

HO-

HONORATO CLARIO.

MI Frater, mi Frater, mi Frater, qui apud me ſecundùm unum Fratrem, qui mihi adhuc ſupereſt ità es, ut ſcis penè par, cur commiſi, ut meæ imprudentiſſimæ literæ ita te commoverent? te inquam, qui nullas unquam δευτέρας φροντίδας (a) habere potuiſti in meis rebus, qui mihi, & neceſſitatibus omnibus meis, non æque ac tibi, & tuis, ſed plus nimium longo intervallo ſemper conſulviſti, ſic laceſſivi demens, plumbeus, neque cogitavi te, tametſi mea omnia in bonam partem accipias, moleſtia tamen, & aliqua triſtitia facilè ex tam acerba increpatione affectum iri. Sed vereor ne hoc etiam literarum genere offendare, nec patiere, ut ego, cui tu amoris, cum à fraterno domeſticoque diſceſſiſti, facilè primas defers, purgare me tibi longiore oratione contendam, cum jamdudum intelligas, nobis inter nos noſtra ſive incommoda, ſive vitia, ſive injurias, eſſe tollerandas. Quare ſiquid prorſus in hac cauſa dicendum eſt, id in congreſſum noſtrum reſervabo. U-

num

(a) *ſecundas curas, ſeù remiſſas.*

Digitized by Google

num ego nunc tantùm non prætermittam, aliqua à me propterea ſcripta fuiſſe, quòd ignorabam, quæ eſſent inter vos pacta, & conventa, pleraque etiam, in quibus ſpero me tibi coram conſilium meum eſſe probaturum. Sed quid illud ſit, quod in extrema pagina abs te additum eſt, nulla ratione conjicere poſſum, quare tu, ſi me amas, apertiùs ut intelligam, ſcribe; neque enim inducere animum poſſum, ut credam, te hujuſce non adeo gravis rei perturbatione commotum, ea ſcripſiſſe. Libera itaque me hac cura quàm potes celerrimè. Vale. Turclaræ. Calendas Januarii. M.D.XXVIII.

SIMPLICIANO MONACHO.

NOli putare me negligentia aliqua minùs crebras ad te literas dare, ſed ne occupationibus quidem meis, quibus nimium diſtinear id aſcribas velim; nam abundo otio, niſi cùm negotium mihi faceſſit ventorum carcer meus, in quo viſcera intra ipſa diræ adhuc tempeſtates creantur. Et, quanquàm nonnihil omnino profici ſentio, pœnitet me tamen quantùm hacte-

nus profectum ſit, cum hæc curatio non mihi videatur, neque diligentiæ, quæ non mediocris adhibetur, neque tempori, quod longum jam mihi ſanè apparet, reſpondere. Sed ut ad rem, ea princeps, atque adeo ſola cauſa eſt, cur ad te & minùs ſæpe, & tardiùs ſcribam, quòd ipſe vereor ne tibi ſatis otii ſit ad ſcribendum. Etenim ſi bene cognitam, & perſpectam habeo rationem diſtribuendi iſtic temporis, & totius diei horarum, ac noctis, nihil reliqui ſit, quod componendis epiſtolis vacet, niſi ſubciſivis quid operis fiat, vel ab ipſis oculis, & ſomno furtim tempus abripiatur, quod qui efficere nullo manifeſto corporis incommodo, & offenſione, poſſunt, ii demum, aut potius ii ſolum aliquem ſtudiorum ſuorum ſperare fructum debent. Significavi tibi rationem moræ in ſcribendo meæ. Tuæ nunc partes erunt ità exiſtimare, me tuorum ſtudiorum incremento, & fructu maxime delectari, tuaſque ſemper literas incredibili mihi eſſe jucunditati, ſed velle in primis, ut ne quid, quòd mihi gratum eſſe futurum exiſtimes, niſi maximo tuo commodo, & maxima tua facultate, mi Simpliciane, cogites, & primùm valetudi-
ni

ni conſulas. Vale. Turclaræ VI Idus Januarii. M.D.XXVIII.

HONORATO CLARIO.

PUtabam me integram ſolitudinem ferre poſſe, & ea jucunditate, quæ ex amicorum conſuetudine parari ſolet, facilè carere; ſed neque ſanè ferre poſſum, neque animo æquo carere fructu illo dulci amicitiæ. Narro tibi plane, per hos ipſos dies, quibus nulla interceſſit literarum viciſſitudo, videor mihi relegatus; nam antea dandis (ut fiebat) accipiendiſque frequentioribus literis, ità leniebatur deſiderium tui meum, dum ſcripta à te legerem, rurſuſque ad ea tibi reſponderem. Acceſſit eòdem aliud onus, quod ſenſum hunc moleſtiæ graviorem fecit, antiquus ſcilicet hoſpes meus, aut rectiùs domeſticus tortor, quem cùm jam, relictis pauculis neſcio quibus ſarcinulis, demigraſſe exiſtimarem, ecce tibi repentinò, repetit fabulam. Neque verò velim arbitrere id eveniſſe, vel ſtudiorum immoderatione, vel incommodatione aliqua corporis, quod ſciam, nam, ut nunc quidem eſt, minimum eſt, quod de

Digitized by Google

ſtudio, & labore cogito; ſed video hanc huic morbo eſſe conſuetudinem, ut poſtea quàm aliquot diebus quietem egerit, mox tamquàm experrectus incipiat deſævire. Sed tamen reliqua pergo, neque curationi, & hauriendo lacti, quod jamdudum ſtomachus faſtidit, deeſſe volo, dum quatuor menſes impleantur. Cogito tamen etiam eos dies ſupplere, in quibus ſprætermiſi neceſſariò lactis hauſtum, qui dies amplius juſtum menſem faciunt, aut non multò ſecus. Itaque erit terminus, opinor, Quadrageſimæ ſanctæ caput. Sed quid tu inquies? tantùm, factum erit conſilio Medicorum ſatis, cæterarum rerum, & ſecuturi eventus ratio, & ſucceſſus omnis, ab eo eſt expectandus, penes quem noſtra eſt omnium ſalus, cuique eſt inexhauſta bonitas, & beneficentia. An tu putas, poſtea, quam aſſecutus ex hac parte fuero optatam valetudinem, nihil ſupereſſe præterea mali? Omninò maximum eſt perfugium, meminiſſe ea nos conditione eſſe natos, ut nihil, quod homini accidere poſſit, recuſare debeamus. Quod ſi ſæpius meditabimur, minùs quidem his fortunati erimus, qui aliorum naufragia ex terra intuentur; ſed acce-

demus

demus iis, mihi crede, gradu cæteris propinquiore. Sed provehor amore, dum ſcribens quaſi tecum loquor, neque enim id propoſitum erat huic epiſtolę, conditionem noſtram ut cõtemplarer, aut te id admonerem, quod, ſi tuos digitos novi, certe habes ſubductum. Feres tamen æquo animo epiſtolæ meæ longas nugas, etenim ita nunc ſum deſtitutus, ut tantùm requietis habeam, quantùm cum libris, & his literis conſumitur. Vale mi ſuaviſſime, & optime Honorate. V. Idus Ianuarii M.D.XXVIII. Turclaræ.

N.

PErgrata mihi, perque ſane jucunda eſt iſta animi tui inductio, quæ & ſi jamdiu apud me aperta, & teſtata fuerat, ſic tamen repetita facit, ut ipſa memoria, & recordatione æque delectatus ſim, ac ſi nunc primùm ejus mihi fuerit facta ſignificatio; ſed non mediocri mihi moleſtiæ eſt, non poſſe me re ipſa aſſequi, ut oſtendam, qua eſſem afficiendus voluptate, ſi per hunc importunum morbum, liceret ibi, ubi tu es, & me degere. Nam quod admones, ut leuandæ, ægritudi-

nis cauſa demigrem, iſtucque concedam, credas mihi velim præſertim experto, acerbius multò deſæviturum malum, atque hac facili conjectura, & tute augurabere, ſi redieris in memoriam ejus temporis, cum dies, noctesque diſcruciabar. Scio ego non defutura mihi multorum ſolatia, tuaque (qua humanitate es) in primis, ſed carvero intereà reliquis commodis, quæ hìc mihi ſuppeditantur, neque diei totius, ac noctis fuerint ſpatia libera, quod quid interſit, eruditis tuis digitis ſubducendum relinquo. Tu tamen, tametſi hæc mea eſt hac de re ſententia quacumque in re, & quocumque in tempore, ità me utare, ut omnino tuo, aut te ipſo potius. Vale. III. Idus Ianuarii.

HONORATO CLARIO.

TU verò frequenter pergis, præterita, perindeque eadem repetis, quasi non recordere, me tibi hanc remanſionem meam olim probaviſſe, voluiſſe quidem certè. Sed video, cur hanc cogitationem ſuſceperis reditus ad vos mei, dùm ſcilicet ſperas fructum aliquem nos ex mutua conſuetudine, & quotidia-

tidiano ſermone percepturos, ſed falleris, mihi crede, nam ego de me experior, qui maiore multò ſic abſens fruor jucunditate ex mutuis literis, quàm cùm præſens te totos ipſos dies publicis rebus occupatum videre vix poſſum. Deinde illud adde, eam eſſe huic morbo naturam, ut nulla penè hora ſit, quam liberam, vacuamque mihi ipſe polliceri poſſim; quod ſi iſtuc, ideſt ad meram ſervitutem venero, vide quæſo in quas me anguſtias conjecero. At erit inquies pluſquàm ſperare poſſis, otii, & libertatis. Sit tamen; ipſe non feram, qui privatum vitę genus in tanta celebritate fratrum non poſſum pati. Quid etiam? dudum enim circumrodo, quod devorandum eſt. Multò malim hìc ali non lautis piſcibus, & conchiliis extructa menſa; ſed paucula carne ſubrancida, panemque expectare, ac vinum à propola, atque de cupa, modò pateat mihi hic collium proſpectus, & locus conficiendi longiora ſpacia ſub viridariorum topiariis, quàm cum omni rerum magnificentia illum veſtrum mihi ipſi carcerem circundare; cujus cum mihi in mentem venit tum vero, δριμεῖα χολὰ ut inquit Theo-

critus Paſtor) ποτὶ ῥινὶ κάθηται, (*a*) & cum Horatio, *difficili bile tumet iecur*. Quod verò adiungis id ab omnibus efflagitari, à teque ipſo, qui mihi es pro centum millibus, ſatisfactum tibi quidem eſt, cæteris ſpero probatum iri conſilium meum, quorum tamen ſtudio, & tam benevolæ propenſioni voluntatis maximas gratias ago, & majores habeo. Quamobrem tibi ipſe mi Honorate, & cæteris etiam, ſi opus fuerit, perſuade, ſic expedire, atque etiam neceſſe omninò eſſe, ſententiamque meam libentibus omnes animis approbate. Vale. III. Iduum Ianuarii M.D.XXVIII.

DE CHRISOGONO.

D*Iſcuſſit nubes oriens Sol avreus atras,*
Χρύσεον ᾽ως ᾽αυτῶ τέκνον ᾽ελάμβαν ὁδὸν (*b*)
Atque iterum obduxit cæca caligine vultus,
Χρύσεον ᾽ως ὅυ τὴν τέκνον ᾽ελάμβαν ὁδόν. (*c*)

HO-

(*a*) *aſpera bilis naribus inſidet.* Teoc. Idill. p.
(*b*) *Cum ejus avreus Filius Viæ ſe dedit*
(*c*) *Cum avreus ejus Filius ab itinere ceſſavit. Alludit ad nomen Chryſogoni, quod ſignificat Avro genitus.*

HONORATO CLARIO.

VIde quantùm, & voluntatis tuæ, & deſiderii mei ratio ſit diſſimilis ei, quæ ſuperioribus diebus in utroque noſtrûm inerat. Ego enim, quem tu obtundebas dudum efflagitando, ut perſuadere mihi ipſe vellem, rectiùs eſſe, mihique, accommodatiùs iſtuc proficiſci, nunc, præter ea quæ coràm abundè fueram locutus, per literas etiam urgeo te, atque inſto, & tamen videris mihi vix exaudiſſe, ità frigidè, & tardè hæc res agitur. Nihil mihi (credas velim) longiùs videtur, quàm dum tecum, & cum veteribus amicis ſim, nullamque omninò rem aliam hac in parte animo iniquo fero, quàm unam hanc, quod hac collium, & viridariorum amœnitate, cœli præterea liberioris, ac purioris ſalubritate privor, & in illum veſtrum quaſi obtuſum carcerem detrudor. Sed conſolor me ipſe tamen, cum cellulæ opportunitatem, ſpatium, ſitumque commemini. Quare cura mi Honorate, ut quàm ocyſſime advolare mihi ad vos liceat; neque tamen id incommodo aut tuo, aut domeſti-

co

co cujuſque peto, ſed quod tantùm ſumma tua cum facultate fiat. Nam hæ literæ eò ſpectant, ut ego potius propenſam animi mei voluntatem præ me feram atque alacritatem, quàm, ut quicquam te intempeſtive urgeam. Quod me de ſarcinulis meis admonuiſti, feciſti ſane bene, ſed ego propterea ſententiam tuam non ſum ſecutus, quòd Abbas meus Hilarion promiſit, omnia ſe diligentiſſime mihi eſſe curaturum, cum proficiſcar, pollicitus eſt, in ſeque recepit, quare tu ab hac ſolicitudine liber eſto. Nutricem meam cum pulchello Arione cum his fortaſſe literis mittemus, qui immortaliter gaviſi ſunt, ſe non à vobis in tanta alimentorum caritate dimiſſum iri, atque pro tam præclaris etiam veſtris in eos officiis gratias agunt. Vale. Calendas Februarii. M.D. XXVIII. Turclaræ.

COmplicata jam epiſtola venit à vobis Andreas, ſed facinus à te indignum admiſſum eſt, qui illi ne ſchedulam quidem ad nos; neque tamen te potius accuſo, quàm occupationes tuas plurimas. Sed heus tu, quid? an ſocius tibi additus non proficit hilum?

Digitized by Google

lum? Ego vero tentaſſem in turrita illa equa venire ad vos, niſi admonitus eſſem utì tamdiu expectarem, dùm accerſerer à vobis. Sic igitur faciam. Verùm credibile vix eſt, quantùm in utramque partem animus jactetur interdum meus. Nam mirum in modum me magis in dies tenet hujus Cœli libertas, puritaſque. Sed acta miſſa, quæque facienda ſunt potius cogitemus, certe enim ſcio omnia facta eſſe cum cauſa. De ſarcinularum mearum vectura (ut dixi) vetat me omnino ſolicitum eſſe noſter Hilarion. Ego tùm, cùm vos juſſeritis, veniam, ſed maturate obſecro; obeſt enim mihi ipſa dilatio, dum hujus loci amor mihi creſcit in horas. Cùm tempus jam adeſſet dimittendæ Nutricis, & collactanei mei, volui prius, quàm proficiſcerentur πολλὰ χαίρειν (*a*) eis dicere, atque eam ipſam collocutionem ad te miſi, quàm tu in ipſis hilaribus legere poteris amicis noſtris Academicis. Videbis latinam linguam feciſſe aliquantùm lucri. Iterum. Vale.

ASEL-

(*a*) *plurimùm gaudere.*

ASELLÆ GALACTANDRÆ, ET ARIONI.

INutrix mea, tuque parve Arion,
Curſu Cyllare mox vocande, & auſu
Ore ſuavi loquente nunc Arion.
Ite grata animalia, at ſuperbis
Tantùm grata parùm Viris; valete
Galactandra parens, tenerque Arion.
Gratias meritò, hìc ego ipſe utrique
Ago, lactiferæque matri Aſellæ,
Arioni quoque, qui tenellus infans
Tot nocteis miſer, ariduſque, lactis
Expers, degere triſtis eſt coactus,
Totque incommoda, commodare nobis
Dum vellet, tulit. O pium utriuſque
Munus, & memorabile, & quod ætas.
Debeat meminiſſe Poſterorum!
His nunc prò meritis habeto uterque
Veſtrûm paſcua læta, plurima, altis
In præſæpibus affutura longè
Longa in tempora, & ad dies ſenectæ.
Eſt dicenda quidem ſalus ſub ipſo
Diſceſſu ultima. Vos valete amica,
Et jucunda animalia. Ari 1, 1, *Iſi. Arion*
Vale, & ſalve, & Gala 10, 10, 10, *Iſi ò*
Vale

Digitized by Google

Vale & tu mea, centieſque ſalve.
I nutrix mea, tuque parve Arìon.

LEANDRO MUTINENSI.

CUm lectæ à me eſſent tuæ literæ, equidem primùm, ut mihi ipſe conſentirem, reſcribere ad eas decrevi, deinde cum ea, quæ ſcribenda fuerant complectebar animo, non ſatis apta mihi videbantur, quæ omnibus, in quos incidere potuiſſent, placerent; non quò à juſto rectoque dicendi inſtituto receſſurus eſſem, ſed ſcio pleroſque aliorſum dicta interpretari, atque ab illis, qui ea dixerunt, intelliguntur. Verùm cum ipſe mihi demum integri animi conſcius eſſem, non potui committere, ut ex tam levi ſuſpitione deeſſem officio meo. Ego mi Leander ſic ſentio, id demum, aut potius id ſolum miſerum eſſe, quod turpe ſit, neque id magis à Stoicorum officina, quàm à Chriſtiana ſchola acceptum confiteri debemus. Quæ ſententia ſi menti penitus, atque animo inſederit, quid tandem omnium eſt, quod non facile feramus? Nam ea, quæ iniqua nobis, & injucunda interdum videntur, id tandem perficiunt, ut ſegnitiem omnem,

&

& inertiam auferant, vireſque augeant animorum; contràque nimium otium, & rerum aut omnium, aut plurimarum tranquillitas, dum blanditur, ſenſim ſine ſenſu vires enervat. Adde illud etiam quòd non dubitamus, quin, ſi etiam nihil hinc magni detrimenti acciperemus, tamen non beatam modò vitam ex his humanarum rerum quaſi illecebris, ſed ne tutum quidem quicquam expectare poſſimus. Quare ſic ſtatuamus, ut cum multa nobis pro vitæ hujus conditione ferenda quotidie ſint, nunquam de ſtatu noſtro demigremus, quæque vita maximè eſt ad naturam, ad eam nos referamus, ad virtutes, ad literas, & ſtudia noſtra. Quod ſi, ut humani, aliquandò commovemur, id quidem ea lege faciendum eſt, ut plurimum ſemper ſpei nobis relinquamus, meminerimuſque frequenter illius Theocriti ſententiæ.

Θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε, τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον (a)
Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν ἀνέλπιστοι δὲ, θανόντες.
Χ' ὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.

Sed

(a) *Confidere oportet amice Batte, cras fortè melius erit. Viventes ſperant, ſpe carent mortui. Et Jupiter interdum ſerenus eſt, interdum pluit.* Ex Theocrit. Idill. 4.

Sed næ ego ineptus, qui hæc ad te, tamquam γλαῦκα 'εις 'Αθήνας;

Verùm quid potiùs ſcriberem non ſanè erat, & ſcribendum erat aliquid omninò. Tuum illud, quod præ te amice fers videndi noſtri deſiderium, ϰ̀ τοῦ συνδιημερεύειν (*a*) fortaſſe maturiùs explebitur, quàm aut ego, aut tu ſperare audeamus. De valetudine mea, quæ hactenus infirma planè, & gravis fuit, incipio jam ſperare meliora, etenim nova quædam mihi oblata curatio eſt, quæ ſi id præſtabit, quod principio in ipſo polliceri viſa eſt, ſpes eſt profectò maxima me ab hac penitùs moleſtia liberatum iri. Tu mi Leander ne ſis noſtri immemor in tuis piis precibus ad Deum, ϰ̀ μὴ ἀποκλείῃς φίλον ἄνδρα εὐεργετῶν. (*b*) Vale Parmæ. III. Nonas Aprilis. M.D.XXVIII.

IN MORTEM DOMINI JESU.

OCcidit immenſi Pater, & Regnator Olympi,
Et vitæ fons in crudelem lumina mortem
Clauſit, amans hominum effuſo pius ægra cruore
Vul-

(*a*) *& quotidianæ conſuetudinis.* (*b*) *& ne ſeponas hominem beneficorum amicum.*

Vulnera, corruptoſque artus ſolidare medendo.
Occidit, ut morte æternam (mirabile) vitam
Illam olim amiſſam, reparet mortalibus ægris.
Ergò agite ò Comites mecum miſcete dolores,
Et mæſtis turbata ſimul nunc plangite palmis
Pectora ſoliciti, lacrymis nec parcite largis.
Sic opus eſt; Tuque in primis miſeranda lugubres
Nympha modos deprome, genas lacerata, caputque
Avricomum indepexa, atroſque induta colores;
Pro niveo procede, & purpureo ornatu.
Ille tuus forma inſignis, cui Sydera Cæli
Æquata amittunt decus, & ſol avreus ipſe
Apparet nigra vultus ferrugine tingi;
Ille tibi Nympha oppetiit, cui fœdere certo
Hærebas, thalamoſque pararas læta jugales.
Surge omnem reple impatiens clamoribus urbem,
Et cunctis dic: Occidit heu mihi pulcher Jeſus,
Occidit heu mihi pulcher Jeſus. flete ſorores
Nymphæ, noſter amor periit, & ſecum abſtulit unus
Gaudia, lætitiam, & noſtræ decus omne juventæ.
Ecce jacet duro confoſſus vulnere ferri,
Clavorumque, manuſque, pediſque, latuſque recluſum,
Ingens tranſadiit coſtas cum miſſile ferrum
Crudele, inque pium, quod candida pectora rupit.
Heu

Heu pulchros, ſcelus infandum, cruor ire per artus
Pergit, humum ſpargens, feſſumque elanguit heu
Jam caput, inque humeros cervix collapſa recumbit.
Lumina nunc dejecta, olim radiantia, torpent,
Nec ſponſæ in vultus ſeſe vltra attollere poſſunt.
Occidit heu mihi pulcher Jeſus, flete ſorores.
Hunc ſilices deflerunt, & marpeſia cautes,
Unum quod potuere, ſonos, ſtrepituſque dedere
Et bruta, intremuit tellus, maneſque profundi
Emiſere animas, quæ in corpora deinde reverſæ
Narravere novos luctus, & mortis Jeſu
Senſum ad tartareas ſedes veniſſe, domoſque
Nigranteis, ditiſque inferni exterrita regna.
Quin etiam ſceleris tanti cœleſtibus horror
Incubuit, nam cum meta diſtaret utraque
Ex æquo Titan, radios contraxit, & intra
Avratos currus caput abdidit, omnia latèque
Obſcurans, Orbi tenebras offudit inerteis.
Occidis heu mihi pulcher Jeſu, nec tua Virgo,
Quæ gemit, exaudis, notas mihi reddere voces,
Nec potis es, ſupremum, aut dulcia dicere verba.
Sed tu deſine Nympha queri, nam Mater Jeſu
Ecce venit ſqualens, & mœſtos pallida vultus.
Audiit infelix mater, cui nuntia fama,

Fama mali tanti miſeras en perculit aures.
Illa, licet trepidæ dudum calor oſſa reliquit,
Evolat, hanc matres, quæ fœmineo ululatu
Omnia complerunt, triſtes comitantur euntem.
Quas miſerata Echo voces pia reddit eaſdem
At Genitrix longè ut Natum proſpexit ab alto
Pendentem, atque omni manantem ex parte cruorem,
Non tulit hanc ſpeciem diræ, & ſpectacula ſortis;
Aſt offuſæ oculis tenebræ, lucemque refugit
Ægra; illam ſociæ refovent, collapſaque membra
Suſcipiunt; felix nimium ſi ſtamina parcæ
Rupiſſent, veraque Parens in morte jaceres.
At verò ut repetit partes invita relictas
Vita, iterum curæ ingeminant, videt undique tela
Attolli in Nati corpus; prohibetur acerbi
Militis imperio acceſſu, ſtupet inſcia, & hæret.
Ac veluti implumes pullos circunvolat ales,
Quos ſerpens nido latitanteis improba nacta eſt,
Innocuoſque rapit, nequicquam invadere tutè
Hoſtem audet mater, nec pellere finibus acrem.
Acrius urget amor tamen, & juvat uſque morari,
Dum quæ ſit rerum facies ſuprema tuetur.
Haud aliter ſe diva Parens orbata gerebat.
Nam nec opis quicquam attulerat præſentia matris,

Nec

Nec tantæ pietatis opus, lacrymæque doloreſque,
Aſtabat tamen, atque inimica opprobria, riſus,
Hoſtileſque minas, jam ſenſum aſſueta ferebat.
Ut primùm ceſſit furor, & veſana virum vis,
Et quæ complerat miles loca, pervia tandem
Facta piis, de ſublimi cruce ponitur ille
Ille opifex rerum, mundi cui ſumma poteſtas
Ante oculos Natus miſeræ Genitricis, & ora.
Tum novus exoritur comitum dolor, & deflentum
It clamor cœlo, & latè loca queſtibus implent.
Ipſa Parens pectus palmis percuſa decorum
Multa gemens, tandem has effudit mœſta querelas.
Nunc ego te Nate aſpicio? tu ne iſta parabas
Gavdia, cum Cœlo veniens puer almus ab alto
Virginea impleſti fœtu mea viſcera ſacro?
Quæ feſſæ reliqua eſt mihi ſpes, requieſve ſenectæ?
Si te non ipſe es miſeratus, linquere ſolam
At me crudelis potuiſti? ò perfida tellus
Unum, unum ſupereſt, ſceleri hoc adjungite tanto,
Hoc pietas erit, & me telis figite veſtris,
Atque ingens ferrum, quod Nati è corde revulſum eſt,
Sanguineiſque notis rubet, in mea pectora fortes
Conjicite, hic ſanguis meus, hic ſua viſcera noſcet.
Nate, olim, quem tot longe ante hæc ſecula Vates,

Præ cunctis ſpecie inſignem, vultuque decorum
Prædixere, jaces nulla non parte cruentus,
Vulneribuſque informis letho volueris atro.
Hoc regno factum caput, & frons plena verendæ
Majeſtatis abit, ſpiniſque obſeptus acutis
Spes hominum, infidæ fers, hæc diademata gentis.
Vos oculi duo lucida ſidera, qualis ab ortu
Ipſe ſuum ingrediens apparet lucifer orbem,
Demiſſi languetis, utì ſucciſſus aratro
Purpureus flos, aut nimio cum ſtratus ab imbre eſt.
Vos ne manus, quæ ſidereum expandiſtis olympum,
Atque ſuum mundo decus appoſuiſtis, & ægra
Curaſtis dudum attactu tot corpora ſolo,
Vincla pati, & clavos decuit præferre trabaleis?
Heu quia, nam ſacris eadem eſt injuria plantis?
Plantis, quæ ſicco inceſſu maria humida ſuetæ, &
Trans altos nabant fluctus, elementaque mollia.
Hos tu Nympha pedes, hæc tu veſtigia Nympha
Illacryma, hæc quando dulcis tua cura fuere.
Heu lacerum latus, heu duro illa haſtilia ferro,
Militis inſanos auſus! te ne improbe, pectus
Æterni veneranda Patris, quo arcana latebant
Conſilia, intrepidum, manibus violaſſe nefandis?
Halitus en crudo tenuis de vulnere (cerno)

Manat

Manat adhuc, illum excipiam, atq; in viſcera condam;
Vivet enim viva ingrediens in membra Parentis.
Ah niveum quondam, nunc flagris nobile corpus
Contuſum livet, tumor, & cruor undique totum
Occupat, & ſpecie amiſſa vix cognitus ulli eſt.
Hæc Mater, nec erat magno jam parcere luctu.
Aligerum interea juvenum chorus aſtitit, alto
Dimiſſus cœlo, qui fletus inter acerbos
Venerat extincti comitari funus Jeſu.
Hi nunc ſæva quidem magni inſtrumenta doloris;
At ſæclis memoranda, & honoris plena futuris,
Arma legunt, quibus eſt læto datus, altera regem
Hinc atque hinc ambit pars, ſtantes ordine certo.
Lenibant alii commotis ſæpius alis
Mœrentum nimios æſtus, auraſque ciebant.
Tum demum obſcuras terra emittente tenebras,
Divinum accipiunt corpus, conduntque ſepulchro.

ALEXANDRO SUMMI PONT. A' THESAVRIS.

ET ſi fieri potuit, ut dum in loquendo aliud ex alio oriri ſolet, de Cœlo, & ſideribus mentionem facerem; nihil tamen ejus generis dixiſſe me memini, in quo con-

jicere debuiſſes, me in aſtrorum rationibus quicquam, quod dignum eſſet eruditis avribus, ut tuas eſſe arbitror, profeciſſe. In hac tamen re tu ingentem ſanè præ te tuliſti probitatem, & humanitatem, qui erga amicos ità affectus ſis, ut magna bona de minimis eorum opinere. Verùm, ne de me poſthac grande aliquid tibi vir præſtantiſſime contingat exiſtimare, qui ſim, brevibus quaſi lineamentis in exigua tabula deſignabo. Ego me fateor, neque hodie in iſtis libris vivere, aut in ejuſmodi diſciplinarum ſtudiis, neque ullum unquàm habuiſſe ſepoſitum tempus ad diſcendum præter puerilem penè ſolam ætatem: deinceps verò tantùm tribuiſſe doctrinæ temporis, quantùm mihi noſtræ feriæ, quæ exiguæ ſanè ſunt conceſſere. Sed mecum tamen crevit amor literarum, ut nihil unquàm in humanis rebus intellexerim, neque gratiùs, neque utiliùs. Verùm dum cupiditati meæ deſunt, & tempora, & ii, quorum conſuetudine poſſem aliquid proficere, factus ſum eorum ſimilis, quos Socrates irridet apud Platonem. Quare nihil opus erat à me quærere, utì exponerem, qui aut nunc ſit, aut conſequenti tempore

pore

pore ſit futurus cœleſtitum orbium ſitus; cui quidem arti, neque meæ profeſſionis virum ſtudere decet, mea ſententia, neque ſi etiam liceret, valde ea delectarer: primùm enim admonent me divinæ literæ, parum huic arti fidei eſſe adhibendum, deinde præſtantiſſimi quique viri, & ii, qui excelſo animo fuere, quos video adduci non poſſe, ut credant agi nos, niſi noſtro fortè vitio, cœlorum motibus. Quouſque enim quis id eſt, quod eſt compoſitum, id eſt, animatum corpus, in quo natura corporis magis prævalet, ut ipſa vita communis corporis ſit potiſſimùm: is tandiu ſub fato eſt, fitque pars eorum, quæ agitationi, & motui ſubjita ſunt, ſervitque non ſine cauſa preterea, quòd ipſi ſe ſubjecerit. Qui verò mente, & cogitatione hæc mortalia deſpicit, & fugere hinc conatur, ſeque ab iis, quæ ei in generatione adjuncta ſunt, ſejungit: is non magnopere timebit *Frigida Saturni, quonàm ſe ſtella receptet, Quos ve ardens ſtrepitus, Mars, aut quæ bella minetur.*

Quòd ſi motus dumtaxat curſuſque ſiderum nos delectant, nulla adhibita præterea fide cæteris rebus, quæ de his dicuntur, alia

Digitized by Google

tamen ſunt, in quibus ſalubrius poſſumus occupari, ut interea ſileam, quàm multus in eis inſit error, quantaque ambiguitas. Sed ego dum provehor ſtudio quaſi colloquendi tecum, brevitatis, & modi obliviſcor. Quare finem faciam, ſi addidero hoc unum; me inter innumeras hujus temporis difficultates, nihil magis optare, quàm doctiſſimorum virorum, & tui ſimilium frui jucundiſſima conſuetudine, ſed viderit iſta Deus. Ego interea tibi me totum offero, & dedo. Vale. Ex Turclarenſi Cœnobio. XI. Calendas Octobris. M.D.XXVIII.

JULIO MANTUANO.

ET ſi multis jamdiu occupationibus, crebriſque moleſtiis ita ſtudia noſtra omnia diſſipata ſunt, ut neſciam quo pacto redire poſſim iterum cùm eis in gratiam, tuæ tamen ad nos literæ datæ recuperarunt me in memoriam eorum temporum, cum ſimul ambo literas vorabamus. Quare ego epiſtolam hanc, qui penè oblitus eram latinè loqui, continuò exaravi, ut et quantùm adhuc poſſit ſola tui recordatio, intelligeres, & ad

anti-

antiquum ſcribendi morem invitarere. Sed mihi longè ſcriptis, & literis omnibus gratiùs erit, atque jucundiùs, ſi id perfeceris, quod tu te per literas es policitus: te ſcilicet brevi apud nos futurum. Advola igitur mi Juli, nam ſpero hiſce diebus ab his occupationibus, quibus ſuperioribus menſibus fueram oneratus, me otium habiturum, tecumque in hoc Turclarenſi receſſu quàm jucundiſſime multas horas poſiturum. Sed obſecro te ne multùm differ, ne quid, quod impedire poſſit mutuum hoc gaudium, intercedat. Nam quod de valetudine noſtra quæris, ego Dei benignitate in tanto ægrotantium numero ſine morbi ullius moleſtia hactenus vixi, præter familiarem duntaxat meum, duoſque dies, quibus leviter febri laboravi. Quod de nugis illis meis prædicas, nihil id quidem neceſsè erat, ſed hæc coram. Nam plura habeo, quæ ridere poſſis, in quibus, & tui facta mentio eſt, ſed nihil ſcies, niſi veneris. Quare feſtina ſi me amas mi ſuaviſſime Juli. Vale. Turclaræ. IX. Calendas Novembris M. D. XXVIII.

EU-

EUSEBIO MUTINENSI.

QUæ res delectare duæ maximè ſolent, & alere mutuam inter homines amicitiam: conſuetudo ſcilicet, ac contubernium, & inter abſentes literarum viciſſitudo, hæ nobis jamdiu ambæ ereptæ ſunt; illud quidem noſtra hac vitæ conditione, hæc autem temporum calamitatibus, multiſque moleſtiis. Sed cum in mea non ſit poteſtate familiariter poſſe, & jucundè ſimul tecum vivere, illud certe non patiar, ut per has difficultates rerum, temporumque ſemper ſtet, quò minus literæ interdum aliquæ à nobis ad te dentur, nunc præſertim in hac Hilarionis noſtri iſtuc ad vos demigratione: qui etiam coràm de me rerumque mearum ſtatu, & conditione latiùs enarrare poterit, & abundè noſtrum vivendi ordinem ſignificare, parùm ſcilicet quietum, cuique otium omne literarium ſublatum ità ſit, ut jam multos menſes literulæ noſtræ elanguerint. Verùm, quia delatores metuo, huncque inprimìs locupletiſſimum teſtem, dicendum eſt omninò quid interea acciderit. Cùm ſub

Co-

Comitiorum tempus aliquantulùm eſſem otii nactus; volui neſcio quid de literarum ſtudiis commentari, quod cum eſſem aggreſſus, reique ipſius materia latiùs funderetur, quàm putaram, in medio curſu incidi in occupatiſſimum hoc procuratorium munus, ſervilemque rerum domeſticarum curam. Abſolvi tamen ut potui, treſque libros confeci, qui quidem vereror (ut Cicero ajebat,) ne minio, ac cera tua pluribus locis notandi ſint, ità eram μετέωρος, (*a*) & multis cogitationibus impeditus. Hos ego, cum hanc Epiſtolam ſcribebam, incertus eram an ad te mitterem, ſed opinor mittam, ad quem enim alium mea omnia aut libentiùs, aut tutiùs? id tantum te tàm vehementer rogo, quàm quod umquam vehementiſſimè, uti ſi eos miſero limæ ne parcas, hoc & te decebit, & mihi ſummæ erit & jucunditati, & etiam utilitati. Vale, & amicos meos, qui iſtic ſunt, verbis meis jube ſalvere. Turclaræ. Pridie Calend. Novemb. M.D.XXVIII.

SIM-

(*a*) *abſtractus*.

SIMPLICIANO MONACHO.

OPtabam ego aliquot jam dies ſcribere omninò ad te aliquid Simpliciane; ſed quotidianæ ſolicitudines, quæ mihi novæ in dies oriuntur, ità ſuccum omnem, qui ſanè exiguus in me ſemper fuit, exugunt & ſanguinem, quem literarum ſtudiis habere videbar, ut ego ille, quem vos tam avidum literarum voratorem interdum reprehendebatis, penè jam literas faſtidierim. At enim quia nihil tamen in humanis rebus aliud neque gratum, neque jucundum preterea eſt, eodem rurſus mihi eſt revertendum, & ne meras nugas ad te ſcribens ocio abutar, & literis, libuit poſtulare abs te quæſtionem, quæ utrique noſtrûm utilitati eſſe poſſit. Cùm ſecundam divini Pauli Epiſtolam ad Timotheum legerem: incidi in eum locum, qui eſt in ſecundi capitis calce, ubi ità ſcribit: *Servum Domini non oportet eſſe contentioſum, ſed manſuetum ad omnes, docilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati; nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli la-*

li laqueis. Quod ait; *nequando Deus det illis pœnitentiam*; memini apud non ineruditos viros legere, interpretantes ea verba, neſcio quid, ſed ama me illud non implet avres meas. Quare tu miſſos fac, quæſo, eos, qui ita hoc loco ſunt commentati, & ſiquid aliorſum ipſe ſentis, atque ab illis dictum eſt, ad nos ſcribe, tum ego poſtremo ſententiam & ipſe adjiciam meam, niſi tu forte anteverteris; ſic enim fieri poteſt, ut cùm multorum invicem rationes fuerint, ſententiæque collatæ, faciliùs veri aliquid eliciatur. Mecum igitur hìc (qua enim in re ſalubrius potes?) elabora, ϗ μὴ ἀποκάμῃς φίλον ἄνδρα εὐεργετῶν. (*a*) Eſt præterea quod à te petam, ut interroges, mihique ſignifices, an recte ſit apud Georgium Anſelmum noſtrum, quìn ſi commodum fuerit, eumque fortè obvium habueris, ſalutem illi à me plurimam dices, illud addens, velle me, ſi otio abundat, in neſcio quo rudi opere, & inſulsè facto, uti illius lima; & ea, quæ optimè ſit dentata. Vale. Nonis Novembris. Turclaræ.

FRAN-

(*a*) *& ne ſeponas hominem benificorum amicum*.

FRANCISCO BELLINCINO. MUTINENSI PRÆTORI.

SUperioribus menſibus magnifice Prætor Franciſce, facta eſt mihi à doctiſſimo, & ſummæ apud nos authoritatis viro Gregorio cive veſtro, tanta tui, ac virtutis, & probitatis tuæ commendatio, eruditionis præterea, & in ſtudia literarum amoris, & diligentiæ, ut amare te vix auditum contitinuò cœperim, optarimque ex eo tempore, percipere aliquem jucundiſſimæ conſuetudinis tuæ fructum; ſed temporum calamitatibus non ſatis nobis feliciter ceſſit, cum ne videndi quidem tui hactenus mihi facta ſit copia. Nunc verò, cum cariſſimus nobis Frater Mavrus ſignificaverit, te, qua es humanitate, non eſſe oblitum mei, cujus nuper in mutuo ſermone feceris mentionem: partes meas eſſe arbitratus ſum, ſi ad te, quem in præſentia viſere coram non poſſem, ſaltem aliquid literarum darem, quamquàm id jam multos certe dies in animo erat, ſed juſtus quidam, mea ſententia, me pudor prohibebat: nunc autem malui indoctus, quàm in-

gra-

gratus videri. Accipies igitur optime Prætor cùm hiſce literis me totum, tibique perſuade, nihil mihi longiùs videri, quàm dum iſtuc proficiſcar, viſam, alloquar, fruarque tam præſtanti homine, & docto viro. Vale. Nonis Novembris.

JULIO PARMENSI.

TU verò rectè Juli, & peramanter feciſti, qui mihi tam diligenter, tamque accuratè Magiſtri mei Luciani, tanti viri, quantùm ii, qui ſano, integroque judicio ſunt, cognoverunt, ſupremum hujus caducæ vitæ tempus deſcripſiſti; tibique hoc nomine plurimùm debeo, cujus hac in re, & benignum animum, & priſtini amoris perſeverantiam locupletiſſimo teſtimonio animadverti. Et quidem, ſi quid eſſet in humanis rebus, quod nos lamentari, & deflere liceret, hi caſus eſſent in primìs lamentabiles, quibus optimorum virorum perfugio, ſolatioque privamur. Sed meditandum altiùs omninò certe eſt, atque animo aſcendendum, quem ità paratum habere debemus, ut omnia, quæcumque accidere hominibus poſſunt, ſine

ſine querela ſubeamus: præſertìm cùm exploratum nobis ſit, lamentando nihil profici poſſe, & dolorem fruſtra ſuſceptum eſſe. Quare depoſitis illis lachrymis, quas naturæ imperium, & molle, ac tenerum cor expreſſerunt, reſtat, ut manibus ejus quotidie bene precemur, & morum, ac vitæ ejus plenæ probitatis exemplo inſtituamur, inveniamuſque nobis eandem, qua ille jam decurrit, viam ad Beatitudinem, & illam divinorum animorum ſedem, quò Præceptorem meum hunc perveniſſe planè confido. Sed miſſa iſta, illud, quod in epiſtola tua ſcripſiſti, me non eo honore dignari tuas literas, ut ad eas reſcribendum ſit, non recte opinaris. Et tamen illa verba ſic interpretatus ſum, ut me à diuturna mea inertia excitare volueris. Sed non erat, mihi crede, opus his ſtimulis, quìn, & paratum me ſemper invenies ad ſcribendum ubi opus erit: & ſpero intelliges conſequenti tempore eundem eſſe me, qui anteà fuerim. Gratulor valetudini, & tranquillitati, ac otio tuo, quod ego optare quidem poſſum, ſperare, & aſſequi poſſe, penè deſpero. Vale. Turclaræ. Pridie Idus Novembris M.D.XXVIII.

BE-

FRANCISCO BELLINCINO MUTINENSI, PRÆTORI.

CUm primùm domum redii, nihil priùs mihi faciendum putavi, quàm ut puſillam librorum meorum ſupellectilem pervolutarem, ſi quid in eis, quod te, ac ſtomacho tuo dignum eſſet, inveniretur; ſed cùm rara oportere eſſe certò ſcirem, neque paſſim inventu facilia ea, quæ multæ lectionis virum delectare poſſent, deſperavi ego quidem ſatis tibi poſſe facere, ſed tamen, ne nihil omninò darem, animalium hiſtorias Ariſtotelis, quod opus apud me reperi, ad te mittere decrevi, forma ipſa potiùs, & literarum typis invitatus, quàm alia ulla re. Quis enim dubitet eos libros abs te ſæpius lectitatos? præſertim cum ejus ſint modi, ut inter humaniores literas, & phyſicæ artem, medii ſint. At tu animum magis, quàm rem æſtimabis, ego quoque ut intelligas, quantùm mihi de te cœperim polliceri, invicem peto, ut Ciceronis ad Atticum Epiſtolas, quibus annotationes quaſdam annexas eſſe etiam coràm cum tecum loquerer dixiſti, mihi cures;

F inci-

incidimus enim heri fortè quendam in locum, quem arbitramur librariorum culpa eſſe corruptum, neque enim ſenſum elicere poſſibile eſt. Hanc igitur nobis rem gratiſſimam facies, noſque amabis. Vale XVII. Calendas Decembris.

DIONYSIO GALLO.

CUm tot jam menſibus, atque adeò juſto anno nihil inter nos literarum interceſſerit, idque temporum potiùs culpa factum ſit, quàm noſtra; cavere debet omninò uterque noſtrum, ne poſtremò alienam culpam in ſe transferat, qua vacare ipſe per ſe poſſit. Ego igitur, qui penè uſque ad hunc diem, tam varias & moleſtas curas perpeſſus ſum, ut mihi nihil hac miſerrima vita gravius eſſe poſſet; ubi primùm iis levari cœpi aliquantulum, nihil antiquius eſſe duxi, quàm ut me ad meum munus, penſumque revocarem, & amicos meos, teque præſertim viſerem eo, quo poſſem modo. Sed vellem idem ipſum abs te præſtari, quem nihil literarum dediſſe iis, qui ad nos tam multi profecti ſunt, non poſſum non mirari. Et tamen

Juſti-

Juſtinus noſter, qui has literas reddet, te mihi non nihil excuſavit; quam excuſationem ſi probatam eſſe mihi volueris, perfice ut longiſſima epiſtola reſarcias damna totius præteriti temporis. Etenim præter illam jucunditatem, quam ex omnibus tuis rebus ampliſſimam capio, illud etiam accedit boni, quod ab hac iniquiſima rerum domeſticarum cura tantiſper ſaltem animum avocabo, recordaborque intermiſſa ſtudia, dum res tuas legam. Nam vereor interdum, ne veſtigia latinitatis omnia mihi pereant inter ignobiliſſimas harum rerum cogitationes. Quare gratificare tu mihi hac in re mi Dionyſi, &, ſi quid præterea habes, quod vel à te, vel à doctiſſimo viro Gregorio Mutinenſi ſit elucubratum, libens mittito; hoc nihil mihi gratius eſſe poterit. Vale, & pro nobis aſſiduè immortalem Deum comprecare. Turclaræ. XIII. Calendas Decembris. M.D.XXVIII.

JULIO MANTUANO.

Etſi de Adventu tuo potiùs, quàm deſcribendo quicquam cogitabam, volui

tamen, tam certo nuntio proficiſcente, brevi epiſtola longiorem hanc tuam moram, quaſi increpare, ſed fortaſſe cum per te non ſtet quìn venias, cujus valetudinem jam confirmatam eſſe à vetere morbo accepi; aliud eſt, quod te detineat. Quòd ſi ità ſe res habet, enitere, ut impedimenta omnia quàm ocyſſimè auferantur, & ad nos matura; venies enim, mihi crede, expectatus. Neque te noſtra deterreat inopia, & ſolitudo; nam exiguo interdum in tugurio non minus gratæ res inveniuntur, quàm in hoſpitio ampliore. Accedit etiam quòd ait Horatius;

Plerumque gratæ divitibus vices,
Mundæque parvo ſub lare pauperum
Cœnæ ſine auleis, & oſtro,
Sollicitam explicuere frontem.

Quare para te, & quantùm potes feſtina. Vale.

ANGELO CLARETTO PRÆCEPTORI.

ETſi ſciebam tam longum meum, & tot annorum ſilentium, optime Præceptor, admirationem fortè aliquam movere tuo ani-

animo poſſe; cum tamen non ignorarem, prudentes viros, ut tu es, res hujuſmodi in bonam partem ſolere ſemper accipere, non timebam, ne multùm apud te errarem, ſi parùm ſæpe literas darem. Sed cùm ſuperioribus diebus ſignificatus mihi fuiſſet filii tui Avrelii, quem ego æque ac fratrem diligebam, immaturus obitus: nulla mihi reliqua eſſe debuit excuſatio ſilentii mei, quò minus, vel te aliquantùm conſolarer, vel memoriam tui meam, communemque in hac tua calamitate dolorem exponerem. Et fortè quidem ſerum erit hoc ſcribendi genus, cum potuerit interea non ratio ſolum, ſed & tempus hanc tibi ademiſſe ægritudinem; verùm meminiſſe debes, ſerum literarum ſolatium repræhendi non ſolere, ſi illud nulla negligentia prætermiſſum ſit. Quid tamen ſcribam quod non tu vel legeris, vel ipſe tecum non ſis meditatus? etenim veteres hìc hiſtorias inſerere, ſupervacui eſſet operis, quando ſi ab externis eſſet accipienda conſolatio, ſufficeret una illa Servii Sulpitii ad M. T. Ciceronem Epiſtola, quam ſcio totam te jam olim edidiciſſe: ſin ab hac noſtra ætate exempla capienda ſunt, longè mihi illa minus nota ſunt,

Digitized by Google

quàm tibi, cui in conſpectu eſſe poſſunt, ex ipſa loci opportunitate, omnium penè terrarum negotia, aut potiùs fluxæ vitæ hujus ludibria. Quanquàm ſi certior à nobis quæritur conſolatio, ea non aliunde, quàm aut à divinis Authoribus noſtris, aut ab ipſa naturæ noſtræ contemplatione expectanda eſt. Utrinque enim docemur certa homini circumſcripta eſſe ſpatia, & *terminos* à Deo *conſtitutos* (ut ait Propheta) *qui præteriri non poſſunt*; quotidieque meditandum eſſe nos jam jamque eſſe morituros. In quam cogitationem ſi tandem aliquando deſcendemus, inque eam nos benè penitus dabimus, næ facilè eventus omnes æquo animo feremus, noſque ipſos parabimus ad cogitandum de illa potiùs perpetua, quàm de hac exigua vita, erimuſque tamquàm facula in pharo, quæ & ſi omnibus ventis circumfletur, lucem tamen ſuam intus incluſa, & defenſa non amittit. Surgendum enim certè eſt, erigenduſque animus ab hac inani, fluxaque materia, & umbra rerum, & eo loco collocandus, ubi non adumbrata, ſed vera ſunt omnia, ubi non, uti nunc fit, perſonas quaſdam circumferemus, quæ deponendæ ſint
mox,

mox, & mutandæ, ſed iidem ſemper erimus, qui primùm eſſe cœperimus. Hæc tibi non ignorari, & cogitari etiam ſæpe confido, cupio quidem certè, quare deſinam γλαῦκας εἰς Ἀθήνας, (*a*) & illud in reliqua Epiſtola adjungam, me magnopere optare viciniorem ſedem, qua conſuetudine tua, & mutuo ſermone frui, & delectari poſſem, & tui etiam, aut noſtri potius Julii, quem in literarum ſtudiis, ac philoſophiæ ſpatiis audio ita proficere, ut te parentem non æquare modò, ſed & ſuperare conetur; quod tàm mihi gratum fuit, quàm ſolet eſſe grata de germani fratris profectu ſignificatio. Huic plurimam meo nomine ſalutem impertiri non te pigeat; cui, ſi otium habuiſſem, fortaſſe aliquid & ipſi ſcripſiſſem, quod faciliùs fiet, ſi me interdum inertem, ſcripto aliquo laceſſiverit: ſoleo enim libentiùs reſcribere, quàm provocare. Salvere etiam à me domum omnem tuam jubeo. Vale.

(*a*) *Noctuas Athenas*

JULIO PARMENSI.

CU'm longiores ad te literas circiter idus Novembris dederim, nihil opus eſt nunc epiſtola ampliore; quare illud tantùm, cujus potiſſimùm gratia iſta nunc ſcribam, ſignificabo. Cum hac tua, aliam præterea epiſtolam annexuimus, quam ad Præceptorem meum, qui me puerum olim, & adoleſcentem docuit, damus, qui cùm ignorem, qua urbis parte habitet, tu prò mutua noſtra amicitia eum curabis (niſi forte, quod fieri non difficile poteſt tibi notus eſt,) per aliquem è domeſticis fratribus cognoſcere, eique epiſtolam reddere; hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale. Turclaræ. Pridie Calendas Decembris.

FRANCISCO BELLINCINO PRÆTORI.

EPiſtola tua me humaniſſime Prætor miris modis affecit, eiſdemque inter ſe pugnantibus, qua enim parte præ te fers tuam ingentem benevolentiam, & charitatem,

quæ

quæ mihi tam optabilis, tam facilè tamen, & nullo penè negotio, cum nihil hactenus ſim de te meritus, eſt conciliata: non dici poteſt quantam ex ea parte ceperim delectationem, & incredibilem jucunditatem. Ubi verò tantùm mihi in literarum ſtudiis tribuiſti, quantùm nec agnoſco, nec poſtulo, neque ſi vendicare id vellem, ratio ipſa pateretur; feciſti tu benevolè quidem, & amicè, ſed me pudor quidam, & dolor pariter invaſere, cum ea ipſa deeſſe mihi videam, quæ ſola, vel præcipua certè ſunt in humanis rebus appetenda. Accedit eodem, quod auguror hæc tua verba, quæ quaſi ſtimuli ad nos in præclara quæque ſtudia adhortandos eſſe debent, nihil aliud profutura, quàm ut dolorem (quemadmodum jam dicebam) mihi faciant, qui eo collocatus ſum in loco, ubi & doctorum hominum carendum eſt conſuetudine, quæ plurimùm ſanè valet in literis, & tranquillitas penè omnis, otiumque literarium ità perturbatum, atque adeò ſublatum eſt pluribus de cauſis, quas hìc non eſt commemorandi locus, ut perexigua, perque tenuia ſint, quæ in conſequenti tempore à me ſperari poſſint. Quare tu cave poſthac appel-

pelles amœniſſimum ſeceſſum iſtum meum, in quo omnis hæc τοποχαφία (*a*) & proſpectus collium,non ille omninò contemnendus, nec per ſe parùm gratus, celerem habuit ſatietatem, remota ea cauſa, quæ ſi adeſſet, ſolitudinem omnem, & abſtruſas etiam ſylvas regiis domibus anteponerem. Nam quod petis, utì ſcribam quid mihi interea pararim, quod mihi ſit æternam famam allaturum; utinam ejus generis eſſent, quæ interdum ludimus, ut ſi non immortale nomen adipiſcerentur, nam hæc rara avis eſt, ſaltem doctis avribus, & erudito conventu digna eſſent. Quod ſi aliquando tandem conſequi potuero, ego vero neque te, neque tui ſimiles umquàm celabo: nam intemperantis (inquit Cicero) arbitror eſſe ſcribere, quod occultari velit. Tu vero ſiquid in præſentia apud te habes, quod ſuperiori tempore elucubraveris, fac nos, obſecro te ejus rei lectione dignos: quod ſi neglexeris, cave ne meis ipſe nugis laceſſam, compellamque, ut invitus poſtremò facias, quod ſponte nolueris. Reliqum illud eſt, ut memineris, me nulla tibi ex parte concedere, ſed primas velle, in

(*a*) *topographia*.

le, in hoc laudabili munere mutuæ amicitiæ. Vale. Turclaræ. IV. Idus Decembris. M.D.XXVIII.

PASTORES IN NATALEM SERVATORIS NOSTRI DEI.

TEmpus erat, quo nox biberna peregerat orbem
Jam medium: mortalesque alta ſilentia agebant,
Cùm gemini interea Paſtores, Cræpnus, & alter
Dercon, qui vigiles inſomnem ducere noctem
Cuſtodes Gregis aſſuerant, ne ſæva luporum
Ingluvies, furum ſeu vis occulta noceret,
Decrevere graves cantu depellere ſomnos.
Alternis ergo exeſa de rupe canentes,
Inflanteſque leves calamos vicina replebant;
Miſſa quoque objecti reddebant carmina colles.
Ecce autem Cœlo nova lux demiſſa repentè
Attonitos circunfulſit: mox tibia, lapſique
E manibus Calami utriſque, & vox faucibus hæſit.
Sic trepidos media Juvenis de luce coruſcus
Quale eſt luciferi jubar, auricomæque Auroræ
Alloquitur. Vobis nibil eſt pia turba timendum,
Sperandum magis, & læto cæleſtia dona
Acci-

Digitized by Google

Accipienda animo, generi quæ reddita veſtro
Nuncius hùc celſo veni admoniturus olympo.
Namque Puer, quem ſperarunt tot ſæcla ſalutem
Allaturum orbi, poſiturumque aurea regna
Aſſimilis veſtri, mortales induit artus.
Quin & ſpectandi vobis data copia primis.
Ite hàc, exiguam quà ſemita ducit ad urbem;
Exiguam nunc, at ſeri quam ſæpe nepotes
Anteferant ipſis Romanæ ſedibus arcis.
Quàm prope parva jacent tenui magalia cultu,
Hac ipſa de rupe etiam quæ nota videtis?
Hic Virgo gentis veſtræ decus, hoſpita partum hunc
Enixa eſt; & inops rerum præſepibus illum
Ah & fœno algentem impoſuit; cui candida membra
Vilibus involuit pannis, atque ubere pleno
Nectare ſideros infundit in ora liquores.
Hæc dicens lætus paribus ſe nuntius alis
Extulit in liquidas auras: quem turba ſecuta eſt
Aligerum plaudens juvenum, ceu cum vada Cycni
Humida deſtituunt, atque æthera cantibus implent.
His monitis erecti ambo formidine pulſa
Viſendi ſtudio arſerunt, Puerumque, laremque,
Protinus arripiunt preſſum lac, ruſtica liba,
Et pelles geminas agnorum velleris albi,

Quæ

Quæ tenero poſſent frigus defendere nato,
Et fœni molles lenirent horrida ſtrata.
Jamque iter aggreſſi accedunt: & vilia tecta
Intrantes, Puerum inveniunt, matremque ſalutant,
Atque, ò terque quaterque beatam munere tanto, &
Tam fauſto, exclamant, & Sanctum Sidus adorant.
Nec ſemel eſt vidiſſe ſatis, juvat uſque morari,
Et demiſſa polo mirari ingentia dona.
Ac veluti accenſo quercus quando arida circum
Septa igni eſt: tenuem primum trahit illa calorem,
Concipit hinc fumos, & denſos acta vapores
Acriùs, ii demum rapidos vertuntur in ignes,
Materiemque omnem per viſcera, perque medullas
Flamma vorat, victrixque elementum in nobile vertit;
Haud aliter longo venerandi Numinis ipſi
Paſtores rapti aſpectu, ſub pectore magnos
Concepere animos, atque alta exordia rerum
Aggreſſi, alternis Sanctum ad Præſepe futuras
Spes Pueri canere incipiunt, & talia fantur.
Cræpnus. *Salve feſta dies, quæ tot Magnatibus ante*
Expectata diu, noſtro nunc incidis ævo.
Arboribus jam mella fluent, & flumina largo
Vina dabunt hauſtu: nec lactis copia deerit.
Dercon. *Salve Sancte Puer tibi nectunt avrea Parcæ*
Fi-

Fila: tibi gentis requies, & purior ætas
Servatur, tu pollutum tot ſordibus orbem
Juſtitiaque, fideque iterum, & pietate novabis;
Cræp. *Irruere in noſtros prædator deſinet agros.*
Deteſtata piis à matribus arma, tubæque
Terribili ſonitu, & congreſſu prælia ſævo
Deficient: rigidum in falces curvabimus enſem;
Lanceaque agreſtem experietur vomeris uſum.
Derc. *Ægyptum tu parvus adhuc, quam frugifer undis*
Nilus alit: vani execrabile Oſiridis, atque
Ridendi Vituli hoſpitium ingrediere, profectus
Nube levi: inque tuo adventu ſimulacbra Deorum
Cœca ruent, veluti glacies, quæ ſole liqueſcit.
Crep. *Non pecori metus, aut canibus labor ingruet ultrà,*
Namque lupis agni impunè jungentur, & inter
Lactenteis hædos, pardi ſine fraude cubabunt.
Cum vitulis armenta ſequens ille efferus olim
Veſcetur paleis domitus Leo. Tigres, *& Urſi*
Cum catulis, pueri imperiumque, minaſque ſubibunt.
Derc. *Gens tenebras amplexa, & longa oblivia veri*
Aſpiciet lucem exortam: quæque incolit umbras
Pallentes umbras herebi, lethemque profundum,
Quique tibi infenſis animis, & pectore duro
Detraxere priùs, demiſſo lumine proni,

Com-

Complexique pedes, Domini veſtigia lambent.

Cræp. *Nulla lues, nec corrupta orti ab origine morbi*
Corripient canæ importuni tempora vitæ.
Quin etiam amiſſi repetent ſua munera ſenſus:
Audebunt claudi cervos æquare fugaces
Curſu: quique oculis captus nunc luminis auras
Exoptat, viſu lynces ſuperabit acuto.
Solventur linguæ in vocem, & muta ora canoram,
Et lene excipient ſurdæ aures murmur aquarum.

Derc. *Ut placidus grege diſjecto per devia paſtor*
Colligit errantem, & nota ad Præſepia ducit:
Sic vario gentes cultu, ſectæque per orbem
Inſulæ, Jonioque, Aegeoque, Oceanoque
Sancitas gratæ leges, & jura ſequentur.
Victori tot regna tibi ſervata, tot urbes
Suſpendent ſolido ex auro, gemmiſque coronas
Jam memores, ariſque adolebunt thurea dona.

Cræp. *Paſcentur latè armenta, & nox læta reponet*
Paſſim, quæ longis fuerant decerpta diebus.
Non ſegetes grando, & flaventes ſternet ariſtas,
Intempeſtivi aut perdent ſata pinguia nimbi.
Aſperaque in nudis fuerant, quæ montibus ante
Saxeta, irriguos videas adoleſcere in hortos.
Non nigræ viciæ, aut deſpecti ſeminis herbæ

Tri-

Triticeam invadent meſſem; non mœſtus arator
Deflebit morbo ſocium interiiſſe laboris,
Nec metuet pecori paſtor contagia dira.
Derc. *Ceſſabit durum, & generi exitiabile noſtro*
Exactoris onus, raptoriſque arma maligni.
Parvus enim eſt natus nobis, & Filius, orbis
Terrarum ſpes, cui Genitor Divùm omnia regnis
Circumſcripta tribus, Cælo, Terris, Hereboque
Imperio ſubdit: vero quem nomine dicent,
Servatorem hominum, & reparantem ſecula Regem.
Conſilio, ac virtute potens, quo fortior alter
Non erit: accipiet ſceptrum, & reget ille Paternum,
Et pacem æterno firmabit fœdere longam.
Hæc memini (niſi me fallax deluſit imago,
Euterpes) cantata: ageret dum ſpiritus ambos
Paſtores: facto qui tandem hìc fine quièrunt.

SIMPLICIANO MONACHO.

CUm impendeant jam dies, quibus hoſpitalia munera mitti ad amicos ſolent: in animo erat omninò aliquid ad te, hominem, non parum inter cæteros amicos gratum, mittere, ſed cum ſtomachum tuum jamdiù bene perſpectum habeam, qui præter

ter ſtudia, & literas, nihil præterea magnopere curet: neque eſſet tamen apud me quicquam dignum, quod in cujuſque vel mediocriter eruditi manus, veniat, hærebam mecum ipſe. Sed vicit tandem ſingularis amor in te meus, & ratio mutuæ amicitiæ. Itaque decrevi ad te dare Paſtores neſcio quos, qui hiſce diebus in luſus noſtros inciderunt. Illud verò à te peto, ne patiaris eos temerè evagari: neque enim urbem ſatis norunt, quippe qui paſtores ſint, & ruri magis, quàm urbanis moribus elegantia aſſueti. Poteris tu tamen eos ad Honoratum uſque noſtrum, ſi ità viſum fuerit, introducere, atque ad hujuſmodi familiares viros, qui, ſiquid in eis ruſticum animadverterint, aut æquo animo ferant, aut clam, & amicè illos erroris commonefaciant. Vale, & Iſidorum tuum caſtis illis tuis precibus apud Deum optim. max. quantùm potes juva. XIII. Calendas Januarii. M.D.XXVIII.

FRANCISCO BELLINCINO PRÆTORI.

FUGACES ANNOS LABI, SOLAMQUE VITÆ SOLIDÆ SPEM ESSE IN SERVATORE HUMANI GENERIS

CHRISTO JESU.

Vides ut orbem præcipites agant
Dies, nec ullam det requies moram;
Bifrons fugato nam priore
Novum aperit tibi Janus annum,
Franciſce; quanta, & pro numero capit
Crementa tempus, tantùm adimit tuæ
Vitæ, reponens impeditum,
Pro facili, & grave ſemper ævum.
Heu quo rotatos turbine, quo maris
Æſtu revulſos ſors miſera improbè
Illudit: illa aut immemor, ſeu
Non miſerata genus verendum,
Olim beatis Elyſii genus
Campis locatum, cuique neceſſitas
Sæva omnis, & peſtes, ſecutæ
Poſt, aberant, gravis & Senectus?
At nos eodem quis referet Deus
Undè exulantes, unius ob ſcelus

Erra-

Digitized by Google

Erramus, importuna pomum
Fœmina cum vetitum expetivit?
Unus vetuſti criminis hic Puer
Labem expiabit, virgineis Puer
Qui nunc fovetur parvus ulnis,
Strata colens tenui paratu.
Hic hic Vir eſt, quem ſæpius audiit
Ætas priorum, pollicitis diù
Dives, daturum ſæcula avrea
Et placidam ſine fine vitam.
Hoc nos duce, omnes non benè nobiles
Diſſolvere æquum eſt ſollicitudines,
Cœloque ſedem quærere inter
Æthereas Superûm catervas.

Eidem.

PUdebat, nihil hoſpitaliorum
Bellincine tibi dare his diebus.
Hæc dedi, hæc cape, millieſque ſalve.

JUSTINO TICINENSI.

JUſtum erat longioribus literis me Epiſtolæ tuæ reſpondere, ſed tamen brevitatem earum tu in bonam partem accipies; exi-

ſtimabiſque id, quod tute etiam expertus es, cum nobiſcum hic eſſes, crebris nos, moleſtiſſimiſque curis frequentiſſimè diſtrahi: neque omnia poſſe quæ debentur amicis, reddere. Quare noli expectare, ut ego tot laudes, tanta verborum copia, tibi reponam, quot laudibus à te penè ſum obrutus; jamdudum enim tuam illam bellam ἐιρωνείαν (*a*) calleo, cui ſilentio tutiùs, quàm oratione ulla alia eſt reſpondendum. His igitur quaſi puerorum (pace enim dicam tua) luſibus prætermiſſis, venio ad illud, quod ais, te libellum meum mihi nolle reſtituere, propterea quòd tu eo nimiùm delectere; quod ſi ità eſt, ut ſcribis, majore illum cura repeto, quàm feciſſem, ſi mediocriter illo fuiſſes delectatus; neque patiar, ut ejus repetita lectione jacturam temporis facias: non enim video quid, poſtea quàm ſemel legeris, velle ampliùs debeas. Quod ſi omninò habere apud te illius exemplum decreviſti (quamquàm hoc neque credibile eſt, & ridiculum etiam) ſed ſi prorſus libet inſanire, deſcribas totum licet, & tum utrique noſtrum ſatis erit factum, cum & ad nos revertetur liber, & tu voto non frau-

(*a*) *ironiam.*

fraudaberis tuo. Sed, remoto joco, peto à te mi Juſtine, ut eum librum primo quoque tempore mihi cures: atque id pluribus de cauſis efflagito, quas hìc enarrare eſſet ſupervacuum. Poſtremò ſcribis de verbo illo, *quatenus*; ſed velim animadvertas Ciceronis locum illum, non multùm pro te facere, qui aliter eo verbo uſus es, atque ille; nam quod ait Cicero, *quatenus de religione dicebat*, idem ſignificat, quod ſi dixiſſet, *qua parte*, vel ut vulgares dicunt, *inquantum*: tu vero (niſi labat memoria) accepiſti illud *quatenus* pro particula, *ut*, in quo ſenſu, quo loco ea dictione Cicero uſus ſit, fateor me neſcire. Jucunda tamen mihi fuit tua diligentia, & rerum obſervatio, qui ſi perges, ut hanc incudem aſſiduè tundas, non dubito fore, ut uberrimus tibi otii tui fructus eo pacto conſtet, ut etiam in cæteros aliquando redundare poſſit. Salvebis à Stephano noſtro. Amicos iſtic omnes meos meo nomine ſalvere jube. Vale. Turclaræ. Tertio Nonas Januarii. M.D.XXIX.

FRANCISCO BELLINCINO PRÆTORI.

COgit me humanitas, & facilitas morum tua, ingeniique elegantia, ut frequentiùs, atque etiam familiariùs, quàm ſoleo ad præſtantes, ut tu es, & graves viros, aliquid ad te ſcribam: quod niſi præſtarem, ruſticus ſanè, & agreſti natura eſſe videri poſſem, cum & tu me elegantiſſimis literis tuis provocaveris, & coràm etiam invitaveris: ſed memineris me ea conditione has literas ad te dare, ut cum fœnore mihi reddas tuas, quibus in hac ſolitudine ſuſtenter, & recreer. Sed nunc de literis ſatis. Illud potiùs velim recordere, ut, quemadmodum nobis es pollicitus, cùm à judiciis forum refrixerit, primo quoque tempore ad nos venias. Quod ſi me audias tu, qui Prætor es, ideſt qui potes, jubebis forenſes illas ferias ocyùs quàm ſolent, adventare: miro enim afficior deſiderio adventus tui, in quo vide quæſo ne mihi fraudes facias: nam acciperem non mediocrem dolorem. At, inquies, ad prætorium Virum ſuſcipiendum quid erit parati? fateor equidem

dem me non poſſe tibi polliceri quicquam, quod dignum ſit tali hoſpite, ſed animum mihi dat humanum ingenium tuum, quem certò ſcio malle in parva ſedecula, quæ tamen ſtudia literarum ſapiat, ſedere, quàm in aliorum ſella curruli. Tu verò hìc habebis hominem, non doctum illum quidem, ſed ſtudioſum tui, & φιλολογώτατον, (*a*) & bellè curioſum, quique exiſtimet: ὀυδὲν γλυκύτερον ἢ πᾶν ʼειδέναι (*b*). Vale VII. Calendas Februarii M.D.XXIX.

SIMPLICIANO MONACHO.

PErgrata mihi eſt, perque jucunda Simpliciane cura, & memoria rerum noſtrarum tua: quare, quod poſtulas, utì reſpondeam de his libris, qui nunc advecti ſunt Venetiis, paucis accipe. Velim jubeas eos colligari optimè, atque conſtringi, veſtirique puniceo, ſeu rubro mavis, tenui corio, & primo quoque tempore ad nos mitti: jamdiù enim eorum expectatione ità pendeo, ut nulla ſit ſtabilis ſtudiorum meorum ratio. Hanc

(*a*) *ſermonis amantiſſimum*, (*b*) *nil dulciùs, quàm omnia noſſe.*

operam ſi diligenter mihi navabis, magnum apud me tua merita accipient incrementum. Vale. Turclaræ. III. Nonas Februarii. M.D.XXIX.

FRANCISCO BELLINCINO PRÆTORI.

CUm circiter VIII. Calendas Martii Parmam ut proficiſcerer neceſſaria me quædam negotia coëgiſſent; eadem res, quamobrem profectus fueram, effecit ut rurſus redirem quàm ocyſſimè. Hoc autem tibi ſignificavi, cùm ut intelligeres, me, ſiquid otii fuiſſet non fuiſſe prætermiſſurum, quin de more te viſerem; tùm quia delatores metuebam, ne, ſi de adventu iſtuc meo aliquid ad te attuliſſent, ego officio defuiſſe exiſtimarer. Et tamen non fuit hæc mihi princeps cauſa ſcribendi, ſed, quia memini, quàm ſæpè in epiſtolis tuis, quas ſub ſigno habeo, ſervoque diligentiſſimè, me ad ſcribendum invites, compellor, ſi etiam nullum ſubeſt argumentum ſcribendi, quidquid tamen in buccam venit, quod ajunt, nugari. Et quidem eſt, quod ait Cicero, quædam λέσχη, (a)

(a) *collocutio*.

quæ

quæ habet, etiam ſi nihil ſubeſt, collocutione ipſa ſuavitatem: Quamobrem libenter interdum perituris chartis non parco, dum amicis meis, imò verò mihi ipſi commodem, remque gratam faciam; qui mirandum in modum afficior, dum tecum, & cum tui ſimilibus per literas, quaſi præſens loquor. Audi enim me ἀγοητεύτως (*a*) dicentem: ità vivam, ſi mihi non modò hic receſſus, quem tu mihi aliquandò prædicas, ſed μακάρων νῆσοι (*b*) tanti ſunt, ut ſine doctorum virorum conſuetudine eſſe poſſim tot dies. Quare, quod à me ſæpiſſime poſtulaſti, idem invicem præſta, & aliquid temporis civilibus cauſis ſubtrahe, & rabioſo foro, illudque mihi ſepone; cui, ut Ariſtophani Archilochi jambus, ſic longiſſima quæque epiſtola tua eſt gratior. Vale. Turclaræ. Calendis Martii. M.D.XXIX.

FRANCISCO BELLINCINO PRÆTORI.

MAgna mihi cùm ſæpe alias tùm poſterioribus literis tuis facta eſt ſigni-

(*a*) *ſincerè*. (*b*) *Beatorum Inſulæ*.

gnificatio modeſtiæ tuæ, & reverentiæ etiam in amicos, qui quod accidere potuit culpa memoriæ interdum labentis, illud nimiæ occupationi erga literarum ſtudia aſcribere voluiſti, ſed tamen neque memoriæ error, neque literarum (mihi crede) me occupationes prohibuerunt, ne quæ & tunc coràm poſtulaſti, & nunc per epiſtolam efflagitas, mitterem; verùm illud potiùs in cauſa fuit, quòd, cum ego tibi quærenti reſpondiſſem, me nullos ejus generis libros habere, ut te velle intelligebam, qui ſcilicet verbum verbo redderent, quique ad græcas literas ſine vivæ vocis adjutorio introducerent: ſolumque (quamquàm ne illud quidem faciet animo tuo ſatis,) ſiquid unquam uſquàm eſſet, quod juvare poſſet, unum eſſe novum Teſtamentum: tu mox retuliſti, te curaſſe, ut primo quoque tempore ad te deferretur: quare nihil te præterea à me expectare ſum arbitratus. Sed tamen, ut epiſtolam tuam legi, ne parùm officioſus viderer, evolui animo, non copioſam illam, ut tu appellas, ſed puſillam librorum ſupellectilem, invenique græcos libros meos ejus generis eſſe, ut aut nondum Latio donati ſint, aut ſi latini ſunt facti, me

inter-

interpretes eorum non habere, præter Æſopi fabulas; quæ tamen ità in latinam linguam verſæ ſunt, ut ad eam rem, quam paras, laborem potiùs inde, quàm quicquam utilitatis ſis percepturus. Quod etiam memini coràm, cum de his rebus ſermo eſſet, tibi dixiſſe. Verùm ſi eaſdem fabulas uno literarum tuarum verbo intellexero tibi cordi eſſe, illas ego ad te tàm libenter mittam, quàm quod umquàm cuique libentiſſimè. Vale. Turclaræ. VI. Idus Martii. M.D.XXIX.

DIONYSIO GALLO.

VEreor, ne mihi homini parùm acuto, neque ſatis malitioſa commenta aliorum depræhendenti, exiſtimes te verba dare poſſe. Sed nihil agis; neque enim facilè mihi tu perſuadere poteris, intra quatuor menſium ſpatia, & plus eo etiam, certum nuntium, cui rectè committere poſſes tuas res, nullum apparuiſſe. Quare para te jam, ut expectatas jamdudum illas tuas lucubrationes, auctaſque aliquo etiam fœnore ad nos mittas. Verùm illud interea certò ſcias, me non propterea ad te luſus illos, quos in tuas veniſſe ma-

ſe manus ſcripſiſti, non miſiſſe, quòd eos te latere vellem, ſed, quia parùm digni erant eruditorum, tuique ſimilium lectione, habenda fuit ratio verecundiæ. Ego verò poſteaquàm longo tibi jam tempore notus ſum, ut & inſanire pergam, & te pluribus ſcriptis laceſſam, mitto adhuc neſcio quæ præcipitata potiùs, quàm edita, quæ decem circiter ab hinc menſes in mediis penè moleſtiarum fluctibus luſi. In iis non tàm ſcrupuloſam tibi legem præfigo, quàm tu feciſti in tuis, quìn, ſi ità viſum fuerit, Abbati Gregorio tuo Mutinenſi, imò etiam meo, oſtendas licet, ſi venerit ad Comitia, quando ipſius mentio facta eſt in tertio, opinor, libro, Julio etiam Mantuano noſtro, ſi voles. Illud tamen te rogo, ut, quia aliena manu ſcriptus liber eſt, errores, quos librarii culpa factos depræhenderis, priùs tollas, quàm ad alium ſinas pervenire. Librum item ipſum cum elegantiſſimis ſcriptis tuis, ſi non priùs, per eum, qui à Comitiis ad nos revertetur, mittes. Vale. Turclaræ. Nonis Aprilis. M.D.XXIX

GRE-

GREGORIO MUTINENSI ABBATI.

ETſi in animo erat;fueramque penè pollicitus præſtanti, eruditiſſimoque viro Franciſco Bellincino civi tuo, me, ſi per occupationes, & moleſtiſſimas curas meas mihi licitum fuiſſet, viſendi tui gratia aliquo in loco tibi occurſurum: tamen, cum haud facilè fieri id poſſe videam, ne omni ex parte caream eo fructu, quem ex tua,ideſt viri doctiſſimi, conſuetudine capere jamdudum cupio; decrevi, hac brevi epiſtola voluntati meæ aliquantùm ſatisfacere. Atque illud primùm, quod mihi jam multos annos fixum in pectore, atque animo eſt, non proſequar longiori oratione, tùm quia latè apud multos patet, quàm ingenti flagrem deſiderio apud te vivendi: tùm verò quia meus mihi pudor obſtat, ne videar aliquid dare tuis avribus. Unum illud hac in re adjiciam: me, ſi fieri rectè potuiſſet, in ipſisComitiorum primordiis, aut ante etiam Comitia, fuiſſe ad te ſcripturum, utì quòcumque eſſes iturus, me tecum ducere non aſpernarere: ſed, quod nunc aſſequi

qui equis, veliſque non poſſumus, ipſa dies aliquandò nobis aliud agentibus, fortaſſe eſt oblatura. Nunc ad Bellincinum tuum venio. Ego quidem tibi cùm ſæpe aliàs multùm, tùm hoc nomine plurimùm debeo, cujus opera factum ſit, ut in hominis, ut noſti, & adde ſiquid vis, tàm probi familiaritatem venerim; in quo neſcio quam ex multis ejus, præcipuè virtutem commendem; ſed deſino rem tibi magnificentiſſimam prædicare. Illum ego præter morem, & inſtitutum meum aliquoties inviſi; qui ſuperioribus diebus, cum de te, quod non parum ſæpe fiebat, jucundiſſimè ſermonem haberemus; mandavit, ut ſive te coràm, ſive per literas viſerem, ſalutem tibi verbis ſuis aſcriberem plurimam, id quod nunc quàm libentiſſimè præſtiti. Vale. Turclaræ. VI. Nonas Maji. M.D.XXIX.

EUSEBIUS MUTINENSIS ISIDORO. S. D.

QUod ſeriùs multò fortaſſe, quàm tu volebas, liber tuus ad te revertitur, peto à te mi Clari, ne mihi vitio vertas, aut deſidia ſuſpiceris id factum noſtra; ſed diſtu-

ſtuli illum mittere ad hæc tempora videlicèt, ut eſſet cui certo homini ferendum darem. Ecce autem Anaſtaſius idem tuus, & idem meus, vir ſane probis moribus, ut noſti, & à ſtudiis communibus non abhorrens; quem ut ægre patior nunc à me divelli, cum ſpero licere mihi otia jamdudum intermiſſa repetere: ità cum à me diſceſſit, nuſquam illum libentiùs, quàm iſtic, ideſt tecum vivere optaverim. Sed, ut ad librum tuum revertar, noli obſecro quærere, quàm mihi valde placuerit, quàmque animum expleverit; vicit porrò, quæ mihi de te ſemper maxima fuit, opinionem, atque expectationem meam. In hujus primùm operis titulo, jucundum ſanè fuit advertere Clarii tibi arriſiſſe cognomen, quod quidem certe aptiùs multo, & elegantiùs eſt, quàm Clarenſis, quàm tu vocem in tuis ſcriptis uſurpare ſolitus eras. Ego autem, ni fallor, hoc tibi primus omnium peperi; quippe jam biennium eſt, cum ego ad Hilarionem Mediolanenſem ſcribens, qui Parmæ tunc tecum morabatur, jubebam ut te meis verbis ſub hoc Clarii nomine ſalutaret. Quare hujus inventi mihi famam omninò concedas velim; etenim ſum gloriolæ avidior

dior multò fortaſſe, quàm putas. Eoque etiam tibi ſuccenſui, quòd, ut expectabam, in nullam me iſtorum dialogorum partem induxiſti, nam quò minus id poſſes, abſentia tibi noſtra obſtitiſſe non debuit, ſiquidem noſti morem dialogorum. Eninverò, ut ſeriò agam, oſtendiſti tu quidem in illis, quantos progreſſus in bonis artibus feceris, & quàm acri judicio fueris veſtigia doctorum hominum, & res dignas imitatione perſecutus. Eruditio ibi exquiſita juncta pari verborum elegantia eſt. Denique nihil eſt alienam limam quod moretur; quamquàm enim in legendo mihi quædam occurrebant, ea tamen minutula ſunt, & meliùs coràm explicarentur. Vale. Ferrariæ. Pridie Idus Majas.

ISIDORUS, EUSEBIO MUTINENSI. S.

JUcundiſſimas mihi fuiſſe tuas literas, etſi latè patet apud omnes, qui, quanti te faciam, ſciunt: ne tamen eas, quas poſteriores dediſti ità nunc affirmem, deterret me aliquantùm meus pudor, verentem ne mea

id tantùm cauſa facere exiſtimer, quòd in eis plus nimio des meis avribus. Sed omninò permittendum etiam eſt aliquid amicitiæ, & benevolo animo. Quare neque officium ego tuum arguam, & fatebor etiam me plurimùm ex eis delectationis accepiſſe. Quod autem petis, utì cognominis mei, à quo tàm longe abſum, quantò ad illud propiùs vocum ſimilitudine accedebam, inventionem tibi acceptam feram: ego verò etiam gloriari potero me à tanto viro tàm inſigni fuiſſe cognomine decoratum; & quamquàm illud ipſum fueram adeptus eo anno, quo in Mantuanum Cœnobium commigravi, omni tamen aſſeveratione affirmabo, abs te profectum fuiſſe. Quod poſtremò per jocum (ſic enim accipio) requiris officium meum, qui in toto illo opere nullam tui mentionem fecerim; illud ſcias velim, me jam ampliùs duos annos luſiſſe alia quædam, in quibus te quantùm potuimus, honorificè inſervimus, quamvis ea ad te nondùm miſerim, pudore fortaſſe ſubruſtico, ſed ut opinor ingenuo, impeditus; video enim rem eam non æquare tua merita. Quod ſi in his iterum voluminibus interiectus eſſes, metuenda erat invidia, & ſer-

mo hominum. Verùm, remoto joco, utinam hòc mihi præſtet clementia Superum, ut ea mihi tandem aliquandò ſuppeditetur, & ſcientia, & dicendi copia, ut digna ſcribam eruditis avribus. Tunc animadvertes quo apud me, meumque, quale illud cùmque eſt judicium, ſis collocatus in loco. Quod per Anaſtaſium de inducta perſona admonuiſti, ſcito me in eadem fuiſſe ſententia, ſed facilitatis peccatum hoc fuit, non judicii. Quare emendabitur facilè locus, eoque libentiùs, quò ille minùs dignitatis ſuæ, atque honoris rationem habuit. Vale. Parmæ. VI. Calendas Quin. M.D.XXIX.

MICHAELI PLACENTINO ABBATI.

NEſcio quibus ego tibi poſſim dignis verbis gratias agere pro tuo libelli illius munere amoris, & benevolentiæ pleno, qui mihi quidem tàm charus, & planè jucundus fuit, ut, quamquàm ſum optimi cujuſque, & eruditiſſimi libri natura avidiſſimus, vix alium potueris ad nos mittere chariorem. Quare cùm ille mihi in ſinu ſemper eſt, tùm

verò

verò in ore, & manibus frequentiſſimè; gaudeo enim me jam tandem audire Chryſoſtomum per ſe loquentem ſua ipſius voce, & lingua, ſine interprete; in quo quantùm ſit momenti, & ad certiores Authoris emendatioreſque ſenſus accipiendos, & ad orationis ejus dignitatem, ac gratiam, implendis prætereà legentium avribus, quis non videat? Præter eos tamen duntaxat, & eorum ſimiles, quibus ego interdum videor riſum facere, interdum etiam admirationem, cum plurimùm intereſſe contendo, quo dicendi genere, & quodam quaſi filo quicquam deſcribatur. Magnopere enim mirari ſe ajunt, cur apud doctos viros, & eruditos homines tanti ſit compoſitio illa, numeruſque verborum, qui tantùm demulcendis avribus inſtitutus videatur; ut iis ſublatis ornamentis, res eadem, & eodem ſenſu, ac ſententia verſa, longè minoris æſtimetur, & penè contemnatur. Quorum ego dicta, ut qui non ſpernendi, neque literarum, & ſcientiæ expertes eſſent, ne vera fortè inveniri poſſent, veritus aliquandò ſum; ſed videor mihi tandem intellexiſſe, undè hæc anilis ſuperſtitio invaſerit in mentes hominum: nam tantùm quiſque nunc

H 2 lau-

laudat, quantùm ſe poſſe ſperat imitari, cætera aſpernatur. Sed multa nimis de re non admodùm obſcura. Reliquum igitur illud erit, ut, prò tua liberali in me animi inductione, tibi perſuadeas, me plurimùm tibi, ut quiſque unquàm cuiquam aſtrictum eſſe. Vale. Parmæ. X. Calendas Sextiles. M. D. XXIX.

LEANDRO MUTINENSI.

Πλῆρές τα μέλιτος τό καλὸν ϛόμα κοῦρε γενοίτο, (a)
Πλῆρές τε σχαδόνων, καὶ απ' αιγίλω ἰσχάδα τρώγοις
Ἀδεῖαν: τέττιγος ἐπεὶ τύγε φερτέρον ᾆδεις.

Quod velim ſeriò prorſus à me dictum arbitrere. Sed illud mihi nunc unum dolet, quòd aliquot ante dies, quàm epiſtolam tuam accepi, dederam Dionyſio noſtro ad Præceptorem tuum literas, quibus in extremis, cum per temporis anguſtias ſcribere ad te non mihi licitum fuiſſet, neſcio quid adjeci querelarum de te, à quo tàm raro quicquam, vel potiùs tàm nihil literarum profiſciſce-

(a) *Plenum melle pulchrum os tibi adoleſcens fiat, & plenum favis; comedas ab Ægila caricas ſuaves; etenim cicada tu meliùs places.* Ex Theocrit. Idill. p.

ciſceretur. Verùm, & ſi ità ὑπομεμψάμενος (*a*) tunc ſcripſi, tamen debet tibi non tàm moleſtùm eſſe accùſari à me officium tuum, quàm jucundùm requiri. Et nunc etiam habeo quod queri poſſim; videris enim ſcribendi officium non tanti facere, quanti optimi quique & doctiſſimi viri faciunt. Hoc vel ex ipſis τοῖς χαρακτῆρσι (*b*) epiſtolæ tuæ facilè conjeci, qui ἁπλῶς, καὶ ὡς ἔτυχεν (*c*) ſemper ſcribis, ἀλλὰ νῦν ἅλις ὄξος (*d*). Quòd tàm vehementer literas noſtras efflagitas, & neſcio quid addis etiam, libetque hoc loco μετριάζειν, (*e*) ſic tibi perſuade mi Leander, & te dignum à me exiſtimari non Iſidori, ideſt hominis haud magna cum re, ſed præſtantioris ingenii conſuetudine, & literis: & nihil unquàm mihi gratiùs, neque jucundiùs quicquam eſſe poſſe, quàm ſi quando, & tibi, & amicis cæteris rem gratam facio, neque rem ullam tàm δεινῶς ἔχω, (*f*) quàm cùm ab hoc officio prohibemur. Quare de tua ego te ſententia, ac judicio ergà me valde amo, qui ſcribis addu-

(*a*) *id patiens, ſeù ità affectus.* (*b*) *characteribus* (*c*) *benignè, & utì optaveram* (*d*) *ſed nunc ſatìs iratus.* (*e*) *deſpicere.* (*f*) *moleſtè habeo.*

ci te non poſſe, ut credas, me nolle ad te ſcribere, in qua utì perſeveres vehementer te, etiam, atque etiam rogo; ego enim nunquàm committam, ut cuiquam nomine negligentiæ, jure ſuſpectus eſſe poſſim. Vale, & Præceptorem tuum Michaëlem à me plurimùm jube ſalvere. IV. Nonas Auguſti. M.D.XXIX. Parmæ.

N.

SI ob eam cauſam, quòd raras à nobis, &, ut ſcribis, niſi laceſſitis, literas accipis, ſuſpicari libet tibi, vel te parùm mihi eſſe cordi, vel amicitiam noſtram poſſe aliquid accipere detrimenti: iniquum te nobis judicem præbes, etſi ſententiam tuam Ariſtotelis teſtimonio tueri velle viſus es, qua in re faciliùs ego admiſerim Iſocratis, quem ad nos miſiſti, & de quo munere te valde amo, authorita tem; qui cum amicitiarum genera plura eſſe intelligeret, ait: πὰς μὲν τῶν φαύλων συνηθείας ὀλίγος χρόνος διέλυσε, πὰς δὲ τῶν σπουδαίων φιλίας, ὀυδὰν ὁ πᾶς ʼαιὼν ἐξαλείψειεν (a)

Qua-

(a) *commercia quidem cum improbis breve tempus diſſoluit, amicitias autem cum probis nulla temporis injuria lædit.*

Quare, ſi exiſtimas, & naturæ conjunctione, & virtutum contemplatione, noſtram amicitiam fuiſſe conciliatam, non debuerant te, πανικά (*a*) iſta perterrefacere. Sed leve hoc eſt, illud gravius, cum de ſecunda avra, & duabus ſellis, quæ me ità permulceant, ut amicitiæ jura negligam, meminiſti. Quæ omnia cum in eam ego partem acceperim, ut à benevolo animo, noſtrique amantiſſimo, & qui decipi me, & errare, & labi nolit, profecta eſſe judicem: tuæ nunc partes erunt, quæcumque ad ea reſpondebimus, ità accipere, ut non aliorſum de meis opinere, atque ego feci de tuis. Ego quidem, niſi longo jamdudùm uſu didiciſſem, te frequentiſſimè ad ingenium redire, à quo ſi recedere neſcis, miſerrimùm eſt, ſi negligis, in primis deteſtabilè; miratus ſanè fuiſſem, quid hoc vellet, aut unde in te iſtæc inceſſerint inſomnia, quæ tàm abſurda ſunt, ut me interdum tui pigeat, pudeatque. Etenim ſi tu, quod quidem mihi ipſe perſuadere nullo modo poſſum, adhùc pendes ex opinione imperitæ multitudinis, ut divitias, honores, copias admireris, & aliquid eſſe judices, non tamen illicò ex moribus tuis alios

(*a*) *panica*.

metiri debueras. Sin rectè ſentis, atque ut chriſtianum hominem decet: & quæ ratio hujuſce tibi de me conjecturæ eſſe potuit? Ecquandò in mutua conſuetudine (liceat enim mihi nunc aliquando magnificè loqui adversùs ignorantes) expertus es harum me ineptiarum fuiſſe appetentem? Quandò autem (ut exaudire jam apertiùs poſſis) aut iis, aut illis blandiri potui, ut in geminis ſellis conſederem? Illud igitur primùm ſic habeto, me nunquàm de iis ſellis dejectum iri, quas ne optarim quidem unquàm, nedùm ut in eas aſcenderim, cum potior mihi ſit latiſſima ſedes ipſa terra. Deinde illud etiam ſcito, me nullam aliam ſecundam avram, nullam æſtatem, atque adeò nullum ver, cujus miror te non feciſſe mentionem, aut habere, aut noſſe, præterquàm ſiquid mihi aſpirârit communis omnium noſtrûm Rex, & Dominus Jeſus Chriſtus, quod unum nobis ſolatium eſſe debet, atque perfugium. Indigebat quidem hæc res longiori oratione, ſed neſcio iſta hæc pauca, quo animo ſis accepturus. Et verò in his omnibus non ideo quicquam tecum expoſtulo, quòd admoneri abs te, & à quovis amicorum recuſem, ſed nolo

teme-

temerè aliquid vel conjicias, vel ex aliorum fortè garrulitate ſuſpicere. At vide, quas me in neceſſitates detruſeris, ut, cum maximè agendæ erant gratiæ, cogeres me ea reſpondere, quæ tibi amara, mihi minimè omnium grata futura eſſent. His itaque tandem prætermiſſis venio ad libros tuos, quos mihi Leonardus noſter à te geminos reddidit, eoſque ſcribis te mihi dono dare, & hujus muneris dandi participem eſſe tecum Dominicum civem noſtrum. Ego maximas utrique veſtrum gratias ago, & majores habeo, neque quicquam mihi magis dolet, quàm non habere me beneficium, quod reponam. Verùm, ut nunc quidem eſt, tibi (nam de illo poſt cogitabo) nullum habeo, quod oſtendam magis efficax benevolentiæ in te meæ teſtimonium, quàm ut mea cum ſumma animi moleſtia ea repræhendam, quæ minus probata in te eſſe animadverto: quæ ſi non iniquo te animo tuliſſe cognovero, gaudebo me oleum, & operam non perdidiſſe, ingenſque ſignificatio erit, veram eſſe inter nos, ingenuamque amicitiam. Vale. Parmæ. Nonis Auguſti. M. D. XXIX.

LEAN-

LEANDRO MUTINENSI.

AD VI. Calendas Septembris redditæ, mihi ſunt tuæ literæ Cal. Quint. datæ, in quibus cum nulla facta eſſet abs te mentio noſtrarum, quas ad te dedimus, literarum, primùm in eam opinionem veni, ut exiſtimarem, eas aut interiiſſe, aut fuiſſe alicubi interceptas; deinde diligentiùs cogitanti tempus, quo eæ datæ fuerunt, ſuccurrit potuiſſe multò ante epiſtolam tuam dari, quàm ad te mea profecta eſſet. Itaque redii in ſpem fieri poſſe, ut ad te perlatæ ſint meæ literæ, quæ res efficiet, ut longiori mihi nunc opus non ſit oratione, præſertìm ea parte, ubi velle videris, ſi auderes aliquantùm mecum expoſtulare tàm diuturnum meum ſilentium: quod equidem velim, ſiquandò mea inertia hac in re peccatum fuerit, quìn etiam ſi tantùm ſuſpicabere, liceat hoc tibi tuo jure facere: neque vereare me propterea ægre quicquam laturum cum certiſſima hæc mihi videatur confirmatæ inter amicos, ſingulariſque amicitiæ ſignificatio. At vero partem illam, in qua rurſus εἰρωνευόμενος μειρακίζεις, (*a*) non

(*a*) *ironicè illudis.*

non facilè admitto, quodque mihi eruditionem omnem tuam, fructumque ſtudiorum acceptum refers, nec noſco, nec probo, neque tibi poſthac licere credas in tam aperta re εἰρωνεύεσθαι: συμμαθητὴν δὲ καλῶν με οὐ μὴ ψεύσῃ. ἀλλ' οὐ δεῖ πόῤῥω τοῦ ἀποχρῶντας λαλῆσαι. (a) Tu verò mi Leander incumbe in has præclaras artes ſtudiorum, & diſciplinarum, rerumque præſtantium; quod ſi me admonente præſtiteris, ego verò tunc facilè patiar prædicari me abs te ſuaſorem, hortatoremque, atque impulſorem, & quaſi authorem progreſſuum tuorum omnium. Frequenter autem illud animo meditare. ὅτι οἱ μὲν ἢ βίον μόνον, ἢ λόγον κατωρθωκότες, τῷ ἑτέρῳ δὲ λείποντες, οὐδὲν τῶν ἑτερόφθαλμως ἐμοὶ δοκεῖν διαφέρουσι, (b) Quod ſcribis ſcire te velle quid ſentiam, quidve intelligi exiſtimem in illis verbis ἢ ἀπήλθετε, καὶ τοῦτο ἡμῶν διαπτύσαντες, (c).

pau-

(a) *ironicè loqui: condiſcipulum autem tuum nequaquàm me bellè decipies. At in re ſatis aperta non expedit plura loqui.*

(b) *quòd illi quidem, qui vel temporum tantùm, vel ſermonum rationem habent, & cætera ſpernunt, ut mihi videtur, vix differunt ab his, qui perverſè vident.* (c) *vel refragamini, & in eo nos à ſpe noſtra fruſtrantes.*

Digitized by Google

paucis accipe ſententiam noſtram. Pendet oratio ab illo exordio, quod paulò ſuperiùs eſt; πάντες δὲ οὐδὲν ζημιωθήσετε, ἢ γὰρ εἰς ὦτα ἐλαλήσαμεν, (*a*) cæteraque, cum ergo unum *vel* dixiſſet ideſt, ἢ, alterum jure reddendum fuit, ideſt, ἢ ἀπήλθετε (*b*). Omninò, inquit, vos hac in parte nihil damni facietis, etenim quoties apud vos verba fecimus, tunc aut fructum aliquem retulit oratio noſtra, veſtram ſcilicet omnium utilitatem, quoniam jactata in terram ſemente verbi Dei, nonniſi bona, fœcundaque terra fructum parit; aut contrà receſſiſtis aſpernati ſententiam omnem noſtram, indèque materiam arguendi, atque adversùm nos commentandi majorem acquiſiviſtis. Altera eſt dubitatio in oratione περί τοῦ ἁγίου πνεύματος, (*c*) in iis verbis, τοῦτο ἤδη καὶ οἱ περὶ τὸν υἱόν μετεωρίζοντες, (*d*) quo in loco animadverto difficultatem omnem eſſe in eo verbo μετεωρίζοντες: quod tamen haud difficile erit intellectu, cùm illius apud græcos uſum didicerimus. Ego apud Chryſoſtomum

(*a*) *omnium autem nil deperibit, vel enim in avres loquemur, ſeù exaudiemur,* (*b*) *vel refragamini.* (*c*) *de ſancto ſpiritu,* (*d*) *idem ſenſerint, & qui Filium deſpiciunt.*

ſtomum μετειάζειν eſſe idem quod humilia, viliaque, & abjecta ſentire; ſic ergo dicit; nihil mirum eſt, ſi qui inventi ſunt, qui de Spiritu Sancto non rectè opinentur, cum idem etiam faciant ii, qui de Filio humilia, neque digna Deo, cogitant. Hæc breviter ne diffidere ingenio videar tuo; ἀλλάγε με πάντως πνευματικὸν γενηθέντα ἐγκαλεῖς; ἔγκλημα γὰρ τὸ ψευδώνυμον, ἐςι τίνος πράγματος ἐγκώμιον. μᾶλλον ἂν εὔχει σὺ, φίλη κεφαλὴ, ἵν ἀπέλθῃ μὲν τῆς σαρκὸς, ἐπανέλθῃ δὲ ἢ, ὡς εἰπεῖν, οἰκειότερον, ἔλθῃ τὰ τοῦ πνεύματος: ὡς τῷ συσταυρωθῆναι ἐξεῖναι, καὶ συνανίςαθαι.

Vale. Parmæ. Quarto Calendas Septembris. M.D.XXIX.

ANGELO GENUENSI.

ETſi nihil habebam, quod neceſſè mihi eſſet ad te ſcribere, quodque quaſi tecum

cum

(a) porrò tune mihi ſuccenſes quòd omninò ſpiritualis factus ſim? crimen quod falſo nomine crimen vocatur, encomium quoddam actionis efficitur. Itaque & tu magis, dilectum caput, ſtudeas, ut à ſenſibilibus enitaris, & ſolutus ab iis, quibus domeſticè, ut ità dicam, circundamur, ſcandas ad ſpiritualia, & ſic mereamur unà concrucifigi, & commorari.

cum colloquendi uberiorem materiam ſuppeditaret; tamen, cum nihil poſt tuum à nobis diſceſſum hactenus literarum dederim, verebar ne proficiſcentibus iſtis ad te domeſticis noſtris, me aut parùm tui memorem, aut minùs, quàm par eſſet amori, ac benevolentiæ erga me tuæ reſpondentem, exiſtimares. Verùm ità velim de me in futurum ſemper opinere, nolle me unquàm in ratione amicitiæ pati, ut quiſquam ſibi primas vendicet, malleque aliquid imò multò maximam de meo remittere, quàm videri ullo tempore officio defuiſſe. Quare tametſi ſegnior tibi fortaſſe, atque ingnavior ad hanc diem viſus ſum, aut poſthàc videbor in ſcribendo, ſic tamen tibi perſuade, memoriam tui meam nunquàm apud me interituram, idquè me quibuſcumque officiis, quove ſtudio, aut diligentia potero, ſi quandò mea opera fortè opus fuerit, tibi probaturum. Scribendum fuerat aliquid de amico noſtro, qui ita nos falſos habuit, cum præſertim hunc tibi caſum, pro eo quanti eum faciebas, ſummo dolori fuiſſe certò ſciam; ſed nolo vulnus refricare, cui jam cicatrix penè obducta eſt, & tamen ſiquid audire optaveris, abundè Simplicia-

nus

nus noſter, qui tibi has literas, opinor, redditurus eſt, ſatisfaciet, quem æquè tibi, ac me ipſum commendo. Maxima in eo eſt integritas, ac probitas vitæ, & morum. Hunc quibuſcumque tibi officiis aſtrinxeris, eiſdem me tibi obligatum crede. Vale. V. Idus Septembris. M.D.XXIX.

DIONYSIO GALLO.

QUod eram veritus non ex animi ſententia caſurum, eodem ipſo etiam tempore, cum ſimul uterque loquebamur, ſpemque nobis propoſueramus, fore ut mihi adeundæ, viſendæque veſtræ Inſulæ copia fieret, id planè ità evenit. Quæ res ſi optatum exitum habuiſſet, duo nobis gratiſſima, commodiſſimaque, quibus nunc privati ſumus, facilè præſtitiſſet. Primùm veſtro omnium conſpectu, alloquio, amplexu frui licuiſſet, illiuſque beatæ Inſulæ contemplatione, quæ à majoribus, antiquiſſimiſque Patribus noſtris tantis olim laudibus celebrata, tàmque felici conventu habitata eſt. Præterea deſiderium ejus loci (certò ſcio,) quod mihi quidem nunc etiam ingens eſt, multò auxiſ-

auxiſſet vehementiùs ipſe in rem præſentem adventus, oculiſque, qui acerrimus ſenſuum eſt, percepiſſe tàm amœnas tàmque, appoſitè à natura Monachorum habitationi factas ſedes, nihil neque inertiæ, neque ſocordiæ loci reliquiſſet, quìn proximo anno à Patribus contendiſſem, utì mihi ſedem illìc ad quietem, & perpetuum otium darent. Quid verò ſit, quamobrem id, quod optabamus conſecuti non ſimus, hoc in cauſæ parte eſt, verecundia ſcilicet mea. Etenim ſiquid ego vel ipſe per me, vel per Præpoſitum noſtrum de voluntate mea Patri ſignificaſſem, verebar, ne ſi minùs fortè gratus ego illi comes acceſſiſſem, integrum eſſet ei, qui noſtri rationem habendam vellet, eligere, alterum, qui ſatis animo faceret ſuo. Ea res tanti apud me fuit quod vitione dandum ſit, an carere culpa debeat, non definio, ut facilè his commodis paſſus ſim diſpoliari, tantumque mihi gaudium deperire. Hac igitur tanta ſpe, cum deciderim, ne quicquam præterea, quod dolorem augere poſſit, ſed aliquid potiùs, quod quaſi molliat crudum vulnus, ac leniat adhibeatur, tu, qua ſemper fuiſti in me benevolentia, & comitate, cura obſecro, ut ex iis,

quæ

quæ ad M. Tulii lucernam interea lucubrâris, aliqua ad nos perferantur, ut quibus poſſum modis jucundiſſimum conſuetudinis tuæ fructum capiam. Erat in animo ſi epiſtolæ menſura pateretur multa de Præpoſito noſtro mirifico homine ad te ſcribere, deque ejus ingenii ſuavitate, ſed egeret res longiori oratione, & neque otium ſuppeditat, neque vires. Tantùm habeto, me penè imprudentem ab eo oppreſſum fuiſſe, qui cum antea nihil de ejus inſigni in elegantioribus ſtudiis eruditione, quam poſtea ſum expertus acceпiſſem, eum non ut egregium, quemadmodùm eſt meritus, ſed quaſi eorum unum, qui nomine careant, habebam. Nunc longè mihi poſthàc aliter ſentiendum, atque antea feci, cùm in dies magis ipſius vires per ſe nobis fiant notæ. Sed ego ineptus, qui γλαῦκας ἔις Ἀθήνας, perinde quaſi eum ante non bellè noris. Salvere velim ex me plurimùm jubeas Abbatem veſtrum, itemque Benedictum, ac cæteros, quique mihi familiaritate, atque amicitia juncti ſunt. At Bernardo noſtro non ſalutem modo dices, ſed minas etiam intendes meo nomine, qui hùc ad quoſdam literas dederit me præterito, atque adeò negle-

ᴄ̄to. Hanc τὴν ἐμοῦ δριμεῖαν χολήν (*a*) non priùs ſedatam iri ſperet, quàm longioribus literis præteriti temporis uſuram dependat. Vale. Parmæ. V. Idus Septembris. M.D.XXIX.

FRANCISCO BELLINCINO PRÆTORI.

SExcenta ego eodem tempore εὐαγγέλια (*b*) ad te mitto. Primùm Gregorium civem tuum, quemadmodum Præpoſitus noſter mihi ex certo ſe accepiſſe nuntio ſignificavit, nunc in ſummo otio cum Salernitano Archiepiſcopo jam ab hinc multos dies degere. Deinde ſcito Euſebium noſtrum fuiſſe in Mutinenſi Cœnobio ex Patrum decreto nuperrime collocatum: qui etiam per literas juſſit me, quem tibi ſumma junctum familiaritate ſe accepiſſe ſcribit, plurimam ſalutem tibi aſcribere ſuo nomine. Scio fore, ut accepto hoc nuntio gaudio exultes, animoque ipſe tuo ſecuturi anni otia, ſtudia, mutuam conſuetudinem, beatam denique cum illo vitam complectare. Qua expectatione, ſi, ut erit, ita tunc repentinò deſtituere-

rere,

(*a*) *meam aſperam bilem.* (*b*) *fauſta nuntia.*

rere, non dubito futuram eſſe illam multò moleſtiſſimam acerbitatem; quæ ſolicitudo, ut æquiore animo ferri abs te poſſit, jam ante moneo te, & prædico, decreviſſe nos proximis Comitiis agere cum Patribus noſtris, ut hùc revocetur. Quod quidem non ut tibi incommodemus, aut injuriæ quicquam faciamus decretum à nobis eſt, ſed quia exiſtimamus licere, (quoniam νεμεσᾶν (*a*) intereſt τοῦ φθονεῖν) (*b*) nobis illum, qui noſter eſt, etiam cum aliqua invidia vindicare. Sed unum tamen fruendi illius aliquot ſaltem dies conſilium ſupereſt, ſi ad eum, quod & ego me tecum bona fide facturum polliceor, ſcribas: uti ſe, hoc præſertim tempore, quo tutior hìc per has rerum perturbationes eſſe poterit, ad nos recipere non nolit. τὶ δὲ λοιπόν; (*c*) illud, quòd noſter Dionyſius, cujus ad me nuper literæ allatæ ſunt, multa ſalute te donat. Hæc, cum non ſatis haberem otii eundi ad te, ſcripſi ἐν ἐπιτομῇ (*d*). Uberiùs iſta, & jucundiùs coram. Vale. Salvebis ab Præpoſito optimo noſtro. Parmæ. Pridie Idus Septembris. M.D.XXIX.

(a) iraſci (b) invidentiæ. (c) quid autem reliquum? (d) brevi ſermone.

AMBROSIO TICINENSI CANONICO.

SI per quotidianas occupationes meas mihi licitum fuiſſet, neque præterea noſtra vivendi ratio prohiberet, ſuperioribus ego diebus frequenter ad te veniſſem, & nunc etiam viſerem quàm ſæpiſſimè, ut talis viri, & tam rari hominis conſuetudine, aliquas paupertati meæ opes compararem. Etenim ſi Ennius propter latinæ, & græcæ linguæ ſcientiam duo ſe corda habere gloriabatur; quanti tandem is eſt, qui decem, & eo amplius corda, ob tam multam tot linguarum eruditionem, habere credendus eſt? Eodem accedit ſingularis illa comitas in ſuſcipiendis, alloquendiſque hominibus, quæ ad te amandum ſola ipſa per ſe, omnes hortari, atque adeo cogere poſſet, nedum tanta facta acceſſione virtutum. Quibus rebus (mihi crede, neque me putes nunc velle aliquid dare tuis avribus) ità me tibi devinxiſti, ut nunquàm videar poſſe quicquam his meritis dignum referre. Sed hæc hactenus, nam ſpero fore, ut, ſi otium invenire potero,

tero, prope diem ad te eam, quo tempore, hæc, aliaque familiariùs colloquemur. Nunc oro te vehementer ut huic, qui has literas afferet, ad me des Chryſoſtomi græcum opus de Fato, ſi tuo tamen id commodo fieri poterit. Hoc gratius mihi facere nihil potes. Vale.

JUSTINO TICINENSI.

ETſi ſcio te ea, quæ de me audire, & cognoſcere velle ſcribis, quæſiſſe potiùs, ut me jamdiù inertem ad ſcribendum provocares, quàm ulla conſulendi noſtri neceſſitate, ut qui neque uberibus, neque lacte noſtro indigeas, jam factus grandior, aptuſque ſolidioribus alimentis: tamen, ne aut parùm gratus videar benevolo animo in me tuo, aut etiam ſuperbus non reſpondendo, decrevi aliquid omninò ad epiſtolam tuam reſcribere. Quod igitur videris mirari cur Cicero dicentem Craſſum inducat, nihil eſſe ineptius, quàm de dicendo dicere, cum idipſum dicere nunquam ſit non ineptum, niſi cum eſt neceſſarium, non eſt admodùm quòd mireris; nam is dialogorum mos eſt, ut non ſuam omnibus locis ſententiam Author ſe-

quatur, ſed dicentium potiùs moribus orationem accommodet, quæ res ſervata hoc loco à Cicerone eſt. Etenim L. Craſſus, Marcuſque Antonius inducuntur, quorum Craſſus (ut idem Cicero ait) non tam exiſtimari volebat non didiciſſe, quàm illa deſpicere, & Romanorum in omni genere prudentiam Græcis anteferre. Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore cenſebat ſuam, ſi omninò didiciſſe nunquam putaretur, atque ità ſe uterque graviorem fore, ſi alter contemnere, alter ne noſſe quidem Græcos videretur. Itaque, cum reddenda cuique perſonæ convenientia eſſent, rectè M. Tullius Craſſum facit, ita de dicendi arte loquentem, ut penè omnem oratoriæ facultatis, quæ à Græcis traderetur, ſcientiam contemnere exiſtimari velit: &, ſi quidem amicis poſcentibus aſſentire neceſſe erat, quaſi invitum, parvique illa facientem, cogi. Neque tamen, ut tu arbitraris, aut philoſophiæ, aut præclaræ cuique Doctrinæ propterea quicquam detrahit, quo minùs in iis exercenda ſit vita, & ætas noſtra. Hæc opinor tibi ſatis eſſe factura, &, ſi quid hac de re præterea dubitaveris, omnia facilè horum exem-

plo

plo diſſolutum iri. Quare ad illud venio, quod in extrema tabella ſcribis, te germani fratris numero me habiturum: quam ego conditionem, ob tam inſignem grati animi in me tui ſignificationem, accipio quàm libentiſſime, polliceorque, me nunquam commiſſurum, ut me officio, & mutua charitate ſuperes. Vale. Parmæ. VIII. Calendas Septembris. M.D.XXIX.

EUSEBIO MUTINENSI.

SUperioribus diebus cum ſignificatum mihi eſſet, te Mutinæ fuiſſe collocatum, ſanè pro eo, ac debui gavisus ſum te propinquiorem nobis factum, poſt paulò, ut ſperamus multò viciniorem, atque adeò contubernalem futurum. Quamquàm minimè quidem profectionis iſtius tuæ cauſa jucunda fuit, ob germani ſcilicet fratris mortem; ſed prudenti viro, ut tu es, neque humanarum rerum imperito, omnia æquo animo ferenda ſunt, præſertim cum minimum atque adeò nihil potiùs ſit, quod expectari in hac mortali vita à nobis boni poſſit. Nam & nobis hiſce diebus eodem unoque tempore nuntia-

tum eſt utrumque mihi parentem ereptum eſſe, quorum manibus tu ut benè preceris, ac Patres veſtri, divinumque Servatoris noſtri Dei ſacrificium pro eorum ſalute offeratis, etiam, atque etiam rogo. Verùm, ut revertar ad demigrationem hanc tuam, Anſelmus utriuſque noſtrum, tuique præſertim amantiſſimus, ubì de me audivit te propiùs nobis acceſſiſſe, incredibili ità affectus eſt gaudio, ut penè iſtùc uſque proficiſci, quo te viſeret, cogitarit: ſed cum multa ei impedimento ſint, aliique præterea non pauci accedant, qui te videre, alloqui, amplecti cupiant, ſpèrare omninò, & bono animo eſſe juſſi, & penè pollicitus ei ſum, in meque recepi, fore, ut literis noſtris invitatus ad nos venias. Mitto fratrum hìc omnium, atque inprimis Præpoſiti noſtri ſtudium in te, & benevolentiſſimum animum, quibus rebus niſi ferreus eſſe voles, animum inducas neceſſe eſt, ut omninò ad nos eas. Quare ſiquid apud te auctoritatis habent non literæ, ſed preces meæ, & tàm ardens tot amicorum deſiderium tui, para te mi Euſebi, ut primo quoque tempore ad nos advoles. Hoc erit & humanitatis tuæ non obſcura ſignificatio, & amicorum,

tuum-

tuumque pariter ſolatium non contemnendum. Salvere jubeto verbis noſtris Præpoſitum veſtrum. Bellincinus ſalutem tibi plurimam refert, qui quo erga te animo ſit, quove tu apud illum ſis loco, nullo noſtro ad id confirmandum opus eſt teſtimonio. Is neſcio quid de te metuit, quod ei ſum nuper comminatus, ſed iſta rectiùs in adventum tuum, & mutuum congreſſum reſervamus, quæ magis coram familiariter dicta delectant. Vale. Parmæ. Nonis Octobris. M. D. XXIX.

ANGELO GENUENSI.

CUm ex eo die, quo Thomas civis veſter retulerat nobis, te poſt germani fratris & utriuſque parentis jacturum gravi, ac periculoſo morbo laborare, nil præterea renuntiatum de te eſſet, non mediocri ſanè cum timore hujuſce rei eventum expectabam; cum ecce reddita mihi eſt tua epiſtola, & incolumitatis, & memoriæ noſtri tuæ locupletiſſimum teſtimonium. Nam quod ad amiſſorum carorum damna pertinet, nihil neceſsè eſt, ut ego te, qui & Monachus, & Chri-

Chriſtianus es, doceam, hos caſus, cæteraſque humanarum rerum perturbationes omnes ſapienti viro parui eſſe ducendos; præſertim cùm his temporibus meliore mihi eſſe conditione videantur ii, qui vita functi ſunt, quàm qui in tam multis calamitatibus vitam agunt. Quò circa me ipſe conſolor interdum hac cogitatione, qui idem, quod tu, vulnus accepi, utroque mihi, uno die, aut non multò ſecus erepto parente, quibus eadem precum ſuffragia, quæ pro tuis poſtulas, ut tu ac cæteri Patres reddatis vehementer rogo. Librum antiquarum lectionum, quem apud me eſſe arbitraris, ab ipſis ſtatim Comitiis, reddidi Joanni Baptiſtæ Mantuano, neque eum ſolum, ſed quicquid ejus habebam: neque enim in animum unquàm inducere potuiſſem, tanta cum audacia, ne dicam impudentia, fuiſſe uſurum. Sed acta miſſa; ego tibi mi Angele pro tua tàm grata, tàmque benevola animi inductione, & amoris ſignificatione plurimùm me debere exiſtimo, teque in iſta contentione, & mutuo certamine permanere volo. Vale; ii, quibus ſalutem tuo nomine diximus, eandem tibi, & eam cumulatam referunt. Parmæ pridie Idus Octobris. M.D.XXIV.

LE-

LEANDRO MUTINENSI.

CUm unus apud nos hìc è domeſticis fratribus veſtris eſſet, verebar, ne, ſi ſine meis literis revertiſſet, me aut oblivionis, aut inertiæ damnares. Quare volui meras nugas potiùs ad te ſcribere, nulla ſubjecta ſententia, neque ſcientia, quàm committere, ut me tacitus tecum ipſe reprehendas; hoc enim video conſuetudini hominum inveteraſſe χρόνῳ δὲ τὸ ἔθος βεβαιωθὲν ἐνομίσθη νόμος: (*a*) ſed cùm ſermonis inopia nihil nunc ſuccurrat novi, eadem identidem repetam; παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκε. (*b*) Qua enim alia re ſuſtentari, & recreari debemus? nunc, mihi crede, quàm maximè, ſi quando alias, φιλοσοφητέον, (*c*) & cætera humana omnia ratione ἐλαφητέον (*d*). Quare nullas δευτέρας φροντίδας (*e*) habere debemus in his rebus. Hìc hìc πολιτευτέον, (*f*) nam in negotiis aliis non ſolùm non licere, ſed etiam tædere debet. Sed heus tu, audio te neſcio quod egre-

(a) morem tempore confirmatum, exiſtimari in legem tranſiſſe. (b) omnigenæ virtutis memineris. (c) philoſophandum, (d) fugienda (e) ſecundas curas, (f) politicè agendum

egregium, & quod majori laudi futurum eſt authori, novo genere, & exemplo, opus lucubrare. Hoc, ſi tanti apud te ſum, quanti eſſe abs te ipſo prædicor, latere me minimè decet. Quare matura, & harum rerum avidas aures meas imple; Ἀθηναῖοι γὰρ πάντες, καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες ξένοι, εἰς οὐδὲν ἕτερον (φησὶν) εὐχαίρουν, ἢ λέγειν τὶ, καὶ ἀκούειν καινότερον. ἔρρωσο ἐν κυρίῳ Ἰησοῦ ἀδελφὲ ἀγαπιτὲ, (a)

Parmæ. Idibus Octobris M.D.XXIX.

HONORATO CLARIO.

QUamquàm ex ingenio, & moribus tuis, quos tot annos jam perſpectos habeo, exploratum mihi eſſe poterat, te ſedato, & tranquillo eſſe animo, me tamen fecerunt tuæ literæ multò certiorem, ad quas ego nihil neque aptius, neque magis opportunum aliud invenio, quod reſcribam, quàm mihi vehementer placere, quod tu tibi ipſe pro-

(a) *Athenienſes enim omnes, quique aliunde Athenas veniebant Exteri, nil aliud gratius (ut ajunt) & oportunius habebant, quàm dicere aliquid, & audire novum. Valeas in Domino Jeſu Frater chariſſime.*

propoſuiſti, quod ſi aſſequi aliquandò aliquo modo potuerimus, rem profectò erimus adepti, quæ multa aut potiùs omnia bona, quæ optari in hac vita poſſint, facilè amplectatur. Etenim cum tantùm ab animo ideſt à nobis ipſis, poſt Deum optim. maxim. bonorum omnium parentem, bona noſtra petere didicerimus, præterque culpam, ac peccatum hominí accidere nihil poſſe, quod ſit horribile, aut pertimeſcendum: cumque ea cogitatione fuerimus, ut nihil in vita nobis fugiendum præter culpam putemus: tunc Reges planè, atque ipſis etiam Regibus, qui vocantur, erimus longè præſtantiores; nam in eo ſtatu, nihil, quod ab hominibus expetendum, aut expectandum ſit, relinquetur: quin extra nos cætera omnia pro nihilo ducemus, unumque illud inprimis cavebimus, ne quid, aut turpe, aut indecorum, vel adipiſcendæ voluptatis, vel propulſandi doloris, ac fugiendæ moleſtiæ cauſa, faciamus, quibus nihil, neque virtute pretioſius, neque vitiis ac peccatis deteſtabilius, magiſque fugiendum propoſitum ſit. Nec verò ità humanarum rerum ignari, experteſque philoſophiæ reperiemur, ut, cùm ſe aliquod obtulerit repentinum,

tinum malum, ita cadamus animis, quaſi aliquid evenerit, quod fieri poſſe numquam putaremus. Intentus enim haberi debet ſemper animus, tamquàm arcus, ut nunquam ex ratione ſumpta offenſio videri poſſit. Feremus demum omnia non ſolum fronte, & vultu bellis, ſed ità ut intimi etiam ſenſus numquàm perterriti, loco, & certo de ſtatu dimoveantur. Sed laborandum intereà primùm eſt, uſuque, ac diuturna conſuetudine aſſuefacienda vita, & uſque eò progrediendum, quoàd ratio ipſa per ſe, nulla externa adhibita vi, adversùs aſpera quæque & moleſta ſe ſe obviam ferat. Homines enim (noſti) in præliis, non in conviviis belli fortunam tentare, ac periclitari ſolent. Et quidèm, cum memoria complector illud, quod in primìs propoſitum nobis eſt, quodque unum profiteri ſolemus, quasì artem quandam, & diſciplinam, piget me interdum, ac pudet inertiæ noſtræ, atque ſocordiæ, qui nè arma quidem militiæ noſtræ agnoſcamus, nedùm ut illis uti, quemadmodum ſtrenuos decet milites, valeamus; cumque identidem moveamur, nil tamen videamur inde promoveri. Hæc ad te non admonitio-

nitione, aut objurgatione aliqua ſcripſi, ſed propterea ſolùm, quod nulla nunc alia, quæ tuis literis reſponderet materia, ſuppetebat. Quare finem epiſtolæ faciam, ſi illud adiecero, quòd te hortor, & oro, ut, quòd valetudinem tuam optimè curâris, læto animo ſis, neque illum ulla re contrahas, aut demittas, animum, neve te obrui tamquàm fluctu, ſic magnitudine cujuſque negotii, ſinas. Vale. Parmæ. XVI. Calendas Novembris. M. D. XXIX.

FRANCISCO BELLINCINO.

SCio te, poſteaquàm in exilium acti ſumus, qua te animadverti eſſe erga nos benevolentia, & pietate, iniquo animo tuliſſe diſceſſum noſtrum, atque adeò fugam potiùs, & relegationem: id quod viris omnibus bonis video doluiſſe, præſertim cum nulla privata cujuſquam noſtrûm culpa acciderit. Sed velim ſcias, nos, etſi non illa omnia, quibus iſtìc abundabamus, hìc ſuppeditentur, & loci iniquitate, & temporis: tamen ità erecto, & conſtanti animo eſſe, ut poſtera die, quam hùc venimus, mox cœperimus omnes

ſtudia

ſtudia noſtra, & quotidianas commentationes exercere. Atqui in mediis calamitatibus (ſi modò tamen Chriſtianum virum res hujuſcemodi appellare decet calamitates, & non magis emolumenta, & lucra) eò meliore conditione ſumus, quòd minores hìc temporis anguſtiæ ſunt, & licet plures horas ſtudiis dare; mirandum enim in modum literis ſuſtentamur, & recreamur: atque ità vivam, ut, ſi ſtatum hunc noſtrum præſens inſpiceres, optares unus eſſe ex nobis. Magnam omninò Bellincine, & multò maximam vim habet rectè factorum conſcientia, cujus nunquàm ἐλπίς φαύλως ἔχει, (*a*) quò magis mirari poſſumus M. T. Ciceronem, qui tàm ſe dejecerit, cum in exilium profectus eſſet: cujus rei cùm multa indicia ſint, tùm illud ego interdum riſi cum familiaribus, quòd cùm ad Atticum ſcribens, frequentiſſimè græca verba intermiſceat; in illis tamen epiſtolis, quas exilii tempore ſcribebat, quem librum eſſe tertium opinor, ne unam quidem invenias græcam literam. Quìn fama erat illum etiam mentis errore ex dolore affici, ſed hanc calumniam diſſoluit ipſe, reſcribens, ſibi men-
tem

(*a*) *ſpes nugatrix eſt.*

tem integram eſſe. Verùm illi fortaſſe dari aliqua venia potuit, nobis vero, quorum mater eſt ἡ ἄνω Ἱερουσαλήμ, *(a)* ſi aliud ſperemus aut alicujus alterius civitatis aſcripti eſſe profiteamur, qui tandem veniæ locus relinquetur? Atque utinam faxit Deus opt. max. ut, quod reliquum eſt temporis, liceat in montibus, & libero cœlo priſcorum exemplo Monachorum, vitam agere, omnemque urbium omnium turbam, & colluvionem devitare. Sed quicquid futurum ſit, illud tibi perſuade, me, dum vita ſuperabo mea, numquam tui memoriam relicturum. Tu verò interea nihil mihi neque gratiùs, neque jucundiùs fare quicquam poteris, quàm nos interdum ornatiſſimis tuis literis viſere, quibus cum ità abſens ſæpe ut tecum loquar. Vale. Turclaræ. VIII. Idus Decembris. M. D.XXIX.

Eidem.

QUòd ſuperioribus diebus, cum familiariter inter nos loqueremur, dixiſti libenti te animo inſpecturum cæremonias, ac mores, quibus in civitatem noſtram

K

(a) quæ ſurſum eſt Hieruſalem.

ſtram Fratres noſtri aſcribuntur: arbitratus ſum partes meas eſſe te admonere, id ipſo manè, atque adeo intra horæ ſpatium, aut non multò ſecus, eſſe faciendum. Et quidem, ſi quid nunc ab rebus tuis eſt otii tibi, non indecorum eſt, neque injucundum, te, ac tui ſimiles facta, atque exempla, quæ pulchri ſpeciem, atque honeſti præ ſe ferunt, non ignorare. Videbis, mihi crede, multa, in quibus φιλοσοφιτέον, καὶ ἐν σωματικοῖς πράγμασ λανθάνει τὰ μυστήεια. (a) Ad humaniſſimam verò epiſtolam tuam, quam eo ipſo die, accepimus, quo ſumus revocati, nihil reſcribo, cùm te habiturus ſim præſentem; id tantùm dolebo non potuiſſe nos, quod optabamus fieri ὀρεσίφοιτας, (b) ut poëticè ait Nazianzenus, ſed dolorem hunc lenire poterit doctorum hominum, tuaque præſertim conſuetudo. Verùm hæc coram uberiùs. Vale.

(a) meditandum, & in ſenſibilibus actionibus abſcondi myſteria. (b) montium incolas,

ISIDORI
CLARII
BRIXIANI MONACHI CASINENSIS

Ad eos,

QUI A COMMUNI ECCLESIÆ SENTENTIA DISCESSERE,

Adhortatio ad Concordiam.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO
GASPARI CONTARENO
S. R. E. CARDINALI.

Iſidorus Clarius Monachus S. P. D.

CUM per hos dies, quibus mihi Romæ cum patre, ac præceptore meo Gregorio Corteſio degendum fuit, cernerem, eundem patrem & tecum & cum cæteris, qui acciti huc à Paulo Pont. Max. fuerant, quotidie in iis rebus verſari, quæ ad Chriſtianæ reipublicæ utilitatem pertinerent, viſus mihi eſſem ocioſus ex omni prorſus parte comes additus, niſi & ego vel unum in hoc negocio cum Evangelica muliere obolum offerrem. Itaquè dum vos in egregiam veſtram provinciam toti incumberetis, juſtum

ego menſem, aut non multo ſecus, adhibui tractandis alio quodam modo, atque hactenus factum eſt iiſce rebus, quæ hac ætate ab iis agitari præcipue ſolent, qui privatis opinionibus, neque ab Eccleſia receptis nimium adhereſcunt. Atque eo dicendi genere uſus ſum, quod ab optimo quoque & amari intelligo, & profecto eſt amandum, ut ea ratione illos, qui nobis adverſari exiſtimantur, redarguamus, ut ſemper de reconciliatione, & pace cogitetur. Hoc quicquid eſt, judicio tuo, ac eruditiſſimæ limæ, & caſtigandum, & expoliendum trado. Quem ſcio (qui doctiſſimorum, & tui ſimilium virorum mos eſt) omnia, quæ alioqui inepta eſſent, efficere ſolere, ut non omnino ſpernenda videri poſſint. Vale.

ISI-

Digitized by Google

ISIDORI CLARII

BRIXIANI MONACHI CASINENSIS

Ad eos, qui à communi Eccleſiæ ſententia diſceſſere, Adhortatio ad concordiam.

IANDUDUM ſatis Chriſtianæ reipublicæ calamitates, & damna, Viri nobis juncti cognomine, ſententiis non ita, ſum miſeratus, atque, ut à Scriptura incipiam, ſæpe ventrem meum dolui, & concaluit cor meum intra me, & in cogitatione mea exarſit ignis, tum quidem quòd vitiis noſtris, atque peccatis nomen Dei malè audiat inter gentes, tum verò, quòd inteſtinis iſtis diſſenſionibus res Chriſtiana non ſolum diſperdatur, ſed miſerando etiam mo

Digitized by Google

do hæc mala perpetiatur, dum Chriſti leges, atque inſtituta in primis tueri ſe quiſque profitetur, qui in primis eis adverſatur, & æmulationem Dei nos habere omnes dum exiſtimamus, neque ſcientiæ ſatis illi adjungimus, aliorſum res longe nobis cadit, atque optare videbamur. Nam Chriſti membra, quibus medendis, & curandis omne ſtudium adhibere ipſi nobis perſuademus, magis in dies dilacerantur, & imperitorum medicorum more, ægrotos, quibus ſanandis medicæ arti operam damus, dum inter nos de morbi genere contendimus, cogimus interire. Hunc ego vitioſum morem, atque adeo perniciem potius maxime miſerabilem, hactenus defleri magis, quàm auferri poſſe intelligens, recogitabam hos annos in amaritudine animæ meæ. Nam quid agerem aliud? Sciebam hanc eſſe ferocientium animorum conſuetudinem, ut, quicquid acriore aliquanto impetu aggreſſi ſemel fuerint, in equorum morem, qui domitorem ferre adhuc neſciant, non ante, aut curſum ſiſtant, aut tractari ſe patiantur, quàm bene defeſſi, appetitioni ſuæ ſatis fecerint. Cernebam, coacto in nubem cœlo, & denſis æthera cingentibus

bus nimbis, collectas jam pluvias, grandinemque prohiberi non poſſe. Itaque ſedebam ſolitarius, & tacebam, & conſilii inops ſpectabam lugens vineam domini devaſtari, & perire læta ſata (ut quidam ait) boumque labores. Nunc verò poſtea quàm ſævitum plus nimio eſt, atque ita furenter, ut, ſiqui victores ſe hujus pluſquam civilis pugnæ gloriari audent, iidem longè deteriore conditione eſſe, quàm victi, ſiquid Chriſtiani pectoris retinent, ipſi judicare ſe omnino debeant, opportunum loquendi tempus nactus mihi videor, ſi forte quis audiat tandem, & quieſcat. In hoc autem ſermonis principio venit mihi in mentem illud dicere, quod filii Iſraël poſt deletos fratres ſuos tribum Beniamin magno ululatu coram domino deflentes dixere. Quarè domine Deus Iſraël factum eſt hoc malum in populo tuo, ut hodie una tribus auferretur ex nobis? Sed præſens rerum conditio, quòd ad vos attinet, multò eſt calamitoſior, quòd veſtrum hoc malum non ſolum à vobis natum eſt, ſed illud idem voſmet ipſi ſemper, majore veſtro, quàm cæterorum detrimento, & alviſtis, & auxiſtis. Etenim, dum, quod erat furor, id quidam

veſtrum

veſtrum eſſe pietatem opinarentur, atque iccirco animoſius graſſarentur, exiguum eſt, quod ii, quos adverſarios vobis propoſueratis, perpeſſi ſunt, ſi cum veſtris damnis, à vobis ipſis profectis, conferatur. Quæ cogitatio nunc me fidentiorem etiam ad loquendum facit, cum intelligere poſſitis, nulla me privati commodi ratione moveri, ſummamque orationis meæ ad veſtram duntaxat utilitatem, & ſalutem pertinere. Quocirca adeſte æquis animis, & me dicente, ſuperioris temporis errorum cauſas recognoſcite. Nam hæc una reparandæ incolumitatis via eſt, ſi ad morbi originem evellendam perveniatur. Ergo quoties, & principia, & progreſſus defectionis, ſive malitis diſſenſionis veſtræ mecum ipſe cogito, nullam invenio aliam horum motuum principem cauſam, niſi indignationem, non ſatis ratione nixam, atque ſuperbiam, quæ utraque ut Chriſtiana æmulatio videretur, ea tractari cœpta ſunt, quæ pietatis non exiguam præ ſe ſpeciem ferrent, & nonnulli etiam fortaſſe veritatis ſolum cauſa in lucem proferendæ iſta tentare, cogitationibus ſuis perſuadere conati ſunt. Nihil enim facilius eſt, quàm fallere ſeſe, &

pro

pro veris falſas induere perſuaſiones. Nam illud, pravum eſſe cor hominis,& imperſcrutabile, non ad alios ſolum, verum ad ſe ipſum etiam referri poſſe, nemo non facile intelligat, niſi ſiquem cæcus amor ſui acrius obſederit. Ita ad nullam rem magis, quàm ad circunſcribendos nos ipſos, ſumus ingenioſi. Hujus vero ſententię de vobis meę rationem quæſo ſic cognoſcite. In primis juſtum mihi videtur illud de prudentia veſtra ſentire, neminem, eorum præſertim, qui ſe novandis hiſce rebus duces præbuere, tanta fuiſſe incogitantia, quin perſpiceret, futurum eſſe, ut ſi ea, quæ ad religionem pertinerent, jam à tot populis, tot ſæculis recepta in controverſiam vocarentur, ingentes in Chriſtiana republica perturbationes, & ſeditiones excitarentur. Qua perſpecta re, cogitandum rurſus erat, hæc novarum ſententiarum prædicatio num tantum eſſet utilitatis ſecum allatura, ut mala, quæ inde orirentur, longo ſpatio poſt ſe relinquere, & tanquam obrueremajoribus commodis poſſet. Verum cum nullo negocio quivis animadvertat, tanta hinc extitiſſe, atque emerſiſſe detrimenta, ut ſiquid ex hac re boni emanarit, aut appel-

lari.

lari vix bonum poſſit, aut non tam his veſtris ſtudiis, quàm divinæ ſapientiæ, quæ ex rebus plerunque pravo ingenio inſtitutis, facinora præclara conficere ſolet, aſcribendum ſit, reſtat ut, cum volentes, ac ſcientes in has ſe atque alios difficultates conjecerint hujus negocii auctores, vitioſi eos animi condemnetis. Sin imprudentiam agnoſcere malueritis, id quod certè minus fuerit reprehenſibile, facilior jam iniri ratio poterit, qua nobis reconciliemini, cum opus tantum ſit, agnito errori, atque damnato veniam dare, atque ultro miſereſcere. At excuſare fortaſſe aliquis hoc ſe pacto velit, ut dicat, non eſſe ex eventu rem judicandam, fuiſſe enim quæ agerentur utilia, planèque neceſſaria quæ tractarentur, ſed minus rectè vulgo accepta, atque intellecta. Atqui hoc ante omnia fuerat meditandum (nam de utilitate ac neceſſitate poſt videbimus) quo ſenſu eſſent iſta à multitudine accipienda, quæ in illis etiam diſputationibus, quæ nihil ambiguitatis ſecum ferunt, deteriori ſemper ſententiæ, & laxiori viæ adhæreſcere conſuevit, nedum, ſiquid ita ſit anceps, ut utrancunque partem eligas, pro te ſtare ratio videatur, rectiorem, magiſque tu-

tam

tam ſectam malit. Magnum eſt ò viri docendæ imperitæ multitudinis negocium, & ſingulari judicio, atque infinitis egens oculis, ne dum curare in illo exiguum vitium ſtudes, ingentem ad graviora mala feneſtram aperias. Intelliget vulgus ſcilicet, quid velis, cum omneis intendis nervos, ut doceas, non ad opera, ſed ad fidem juſtificandi vim pertinere? & nulla peccata, niſi ſolam incredulitatem damnare poſſe, omniaque ſcelera uno momento abſorberi ſtante fide? contritionem item, & peccatorum confeſſionem, afflictioneſque, & omnia illa, ut ais, hominum excogitata ſtudio, infeliciorem reddere, ſi oblitus quis ea, quæ doces, in illis ſeſe diſtenderit? Intelliget quid ſentias, cum periculoſum, & falſum affirmas, opinari, pœnitentiam eſſe tabulam alteram poſt naufragium? Accingentur nimirum ad rectè facta, cum ex te operum pompas, quas vocas, & humanarum traditionum fallacias audiet divinæ veritati, & fidei injuriam facere? Quoties vulgi avres vox illa circunſonat, fixum ſtare, nos neceſſitate omnia, nihil libero arbitrio facere, nempe inquiret, quid ſub hoc paradoxo ſapientiæ lateat, & non potius

qui-

quibuſvis appetitionibus, ut cui nihil reliquum virium ſit, ferri ſe patietur? Illa verò cum ſæpius repetuntur, pontificia jura, & traditiones Chriſtianæ libertati eſſe impedimento, ut cenſes, infrænem turbam ad Chriſtianam tranquillitatem, & vel ad amandos, vel certè ferendos eos, qui ſibi præſunt, animari? Cum deteſtandum hoc cœlibatus inſtitutum in ſacerdotibus, cæteriſque Eccleſiæ miniſtris paſſim prædicatur, & libidini, ac laſciviæ per ſe inſanienti, ejuſmodi ſtimuli adhibentur, quo accipi animo talia exiſtimanda ſunt? Credo, ut pro ſe quiſque conetur deſponſam uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto? Oportuerat ergo, ſi ſaluti magis fratrum veſtrorum conſulere animus erat, quàm prurientibus & linguis, & avribus indulgere, cogitatione iſta præcipere, & ea, quæ vel novanda, vel corrigenda judicaretis, primum diſquirere diligentius, & perveſtigare, num ſolida veritate niterentur. Sæpe enim id uſu venit in hac parte, quod in vernis floribus cernimus, qui cum omnes polliceri fructum videantur, major tamen plerunque eorum

pars

pars inanis decidit. Tum ſiquid communi hominum ſalutiferum excogitaviſſetis non continuò in vulgus prodere ob eas, quas dudum dicebam cauſas, ſed cum paucis diu, multumque deliberare, quibus artibus ſalva populorum pace, atque concordia, hæc à vobis recens excogitata, ſenſim in hominum venirent conſuetudinem, ne quos repentina novitas, quæ improviſas mentes turbare ſua natura conſuevit, tumultus, & diſſidia excitaret. Etenim tunc demum, aut potius tunc ſolum, res quæque bona eſt, ſi bene fiat, contraque nihil tam rectum, quod, ſi deſit prudentia, non æque perniciosum evadat, atque antea ſapienter adminiſtratum, futurum fuerat ſalutare. Hoc docere vos poterat Servatoris exemplum, qui de ſua morte, re orbi omnium terrarum in primis ſaluberrima, verba facturus, eam cum diſcipulis tantum communicare ſeorſum voluit, intelligens, majoris momenti negocia non eſſe multitudini tutò committenda. Nihil eſt profecto, quod non opportunitas aſſequatur, qua ſi perſpicere accuratius voluerimus, Deum ſemper in homines uſum fuiſſe reperiemus, præſertim ad ſe mortalibus aperiendum, ſuæque

que veritatis lucem mundo declarandam. Cum enim vetus teſtamentum Patrem aperte prædicaret, de Filio obſcurius eſt locutum. At nova lex eundem Filium palàm explicavit, Sancti verò Spiritus divinitatem non ita late patentibus argumentis, quæ poſtea demum intellecta & ipſa eſt. Atque id ob eam cauſam factum exiſtimatur, quòd minimè tutum eſſet, ut Theologus ait, nondum Patris divinitate confeſſa, Filium manifeſte prædicare, rurſumque nondum illa Filii declaratà, Spiritum ſanctum, tanquam onus futurum adhuc imbecillioribus, introducere. Eodem pacto Servator idem cum poſt rerum multarum documenta, & alia ſupereſſent, quæ cerneret tunc à diſcipulis ferri non poſſe, ea in opportunum magis tempus reſervavit. Hunc imitati morem præſtantiſſimi quique viri, diſpoſuere divini David conſilio ſermones ſuos in judicio, ut tantum ea proferrent, quæ profutura cognoſcerent, cætera alioqui digna, atque adeo neceſſaria, quæ quivis confiteretur, tandiu interim diſſimularent, dum libertatis tempus nacti, fiduciam, & facultatem loquendi opportune aſſequerentur. Ut olim Baſilio illi magno

uſu

Digitized by Google

uſu venit, cujus vos ſanctitatem, eruditionem, pietatem, minime contempturos eſſe confido. Etenim cum hæretici venarentur ex ejus ore nudam illam de Spiritu Sancto vocem, quòd eſſet Deus, quæ res cum vera ſit, impia tamen illis exiſtimabatur, ut hac voce accepta, illum ex urbe, & ſede deturbarent (quod nihil erat aliud, quàm theologiam ex ea regione relegare) ipſi verò occupata Eccleſia inde, tanquam ex arce quadam, quicquid reliquum erat invaderent, is ita orationem attemperavit, ut aliis appellationibus, quæ idem manifeſte valerent, & ſcripturæ teſtimoniis, ac neceſſariis argumentis adverſarios redargueret, neque ullam tamen eis anſam relinqueret inſaniendi. Hac eſt ille circumſpectione uſus tanto in negocio, nempe de Deo, de que fidei noſtræ integritate, & cum eruditis agens. Quid cenſetis eum fuiſſe facturum, ſi vel in confuſa turba res agenda, vel cauſa incidiſſet minus ad ſalutem neceſſaria? Docuit vir ſapientiſſimus hoc exemplo, ad publicas res gerendas altiori conſilio accedendum eſſe. Plæraque diſſimulanda interdum, nonnulla etiam donanda magis, quàm committendum,

dum, ut is populus inter ſe diſſideat, cujus legis, & præceptorum ſummam omnem charitas una complexa ſit. Referte etiam, quæſo, animum ad Paulum acerrimum eorum adverſarium, qui ſuperſtitioſa religione adhuc legis moribus adhærebant. Is tamen ut mirandum in modum ad eorum mores, cum eſſet opus, cavendæ ſeditionis gratia ſeſe demittebat in eoſque acerbius invehebatur, qui contemptis infirmioribus, rerum ſcientiam ſibi vendicabant. Scimus (inquit) quòd omnes ſcientiam habemus, verum ſcientia inflat. Et hanc ſcientiam, quæ temere feratur, videte ut deſpiciat. Siquis ſcire ſe aliquid exiſtimat, nondum novit, quo ſe pacto ſcire oporteat. Et poſt paulo. Videte ne veſtra hæc licentia infirmis ſit offendiculo. & illud; & peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt. Quid verò ipſe? ne abuteretur poteſtate ſua in Evangelio, cum eſſet ab omnibus liber, omnium ſervus fieri non dedignabatur. Factus Judæis tanquam Judæus, iis qui ſub lege eſſent, quaſi legi obnoxius, iis qui ſine lege, ut lege carens, infirmis quaſi infirmus, omnia denique omnibus. O' divinum hominem,

qui

qui nil fratrum concordia arbitrabatur antiquius! O' imitatorem Chriſti legitimum, qui nec ipſe ſibimet placuit! O' minimam, atque adeo nullam potius charitatem noſtram, qui dum iracundiæ & indignationi obſequamur, dum gloriolam venemur, dum eruditionis, & eloquentiæ nomen aliquod inter homines comparemus, Cœlum & terram movere, atque confundere non dubitamus! Et audemus Chriſtianæ nos libertatis aſſertores appellare? quo id jure? aut magis, quo id ore? Dilacerantur quotidie loquacitate noſtra Chriſti membra, oves, quæ cogendæ fuerant, diſſipantur, creſcunt, dum nobiſmet ipſis placere volumus, diſſidia, pax Chriſti ab iis, qui in primis Chriſti cauſam tueri ſe gloriantur, à Chriſtianis finibus extruditur; & adhuc tamen cæci pro Chriſto ſtare, non aliis ſolum, verum noſtris etiam ipſorum conſcientiis nitimur perſuadere. O'vercordiam, ò tenebras! Cum enim ſit inter nos æmulatio, & contentio, nonne carnales ſumus, & ſecundum hominem ambulamus? at carnalis longo à Chriſti ſpiritu intervallo diſiungitur. Videte verò quàm appoſite Scriptura hos hujus temporis mores

alio loco reprehendat. Quis ſapiens, & ſciens inter vos oſtendat ex bona converſatione opera ſua cum manſuetudine ſapientiæ. Si verò æmulationem amaram tenetis, & contentionem in corde veſtro, nolite gloriari, & mendaces eſſe adverſus veritatem. Non eſt hæc ſapientia ſuperne profecta, ſed terrena, animalis, dæmoniaca; ubi enim æmulatio, & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus pravum; quæ autem è ſupernis eſt ſapientia, primum quidem caſta eſt, deinde pacifica, modeſta, morigera, plena miſericordia, & fructibus bonis, neque dijudicans, neque ſimulans, fructus verò juſtitiæ in pace ſeminatur. Cernitis, quàm multos iſta, quæ ex Deo ſit, ſapientia numeros habeat? quot eam ſtipatores ambiant, ne in diaboli parteis rapiatur? atque in primis ut ſublatis contentione, ac æmulatione, modeſte, pacateque, nec ſine miſericordia ſeſe hominibus impertiatur? Nihil enim certè tam impedit veritatis inquiſitionem, quàm contentionis ſtudium, & ſententiarum pertinacia, quæ cum ab arrogantia, ſuperbiaque proficiſcatur, controverſiæ finem inveniri nullum ſinit; nam inter ſuperbos (ait Salomon)

ſem-

ſemper jurgia ſunt; at veritatis ſedes in tranquillitate, & quiete figitur, quæ lucis ſuæ radios uſque ad tenebricoſas, & perturbatas, & averſas mentes cum emittit, tenebræ eam non apprehendunt, ſuaque cum inconſtantia, tum averſione, beatum illum ſplendorem intra ſe admittere non poſſunt. Quid? quod illa in ſententia dicenda lenitas, & animi candor, atque ſubmiſſio vacans pertinacia, nihilo interdum minores, quàm rationum argumenta, vires habent ad perſuadendum, quantoque dictionem moderatiorem intuemur, tanto in ejus ſententiam tacito aſſenſu facilius rapimur, experimurque rectè ab eodem Salomone ſcriptum, verba ſapientum in quiete amplius audiri, eſſeque efficaciora, quàm principis ſtulti vociferationem. Hæc quàm vera ſint, ex ipſis ſectæ veſtræ ſcriptoribus conjicere poteſtis, è quibus quicunque alios vel etiam ſeipſos diverſo tempore vicere modeſtia, eos ſæpenumero ob eam duntaxat cauſam, non vos ſolum, verum nos etiam deoſculamur. Quis enim non omnium ſuffragio illi primas det, quem cum antea vel ætatis fervor, vel error perſuaſionis, aliquanto ardentiorem, & vehemen-

tiorem effeciſſet, is demum moderatiore ſtilo in eiſdem, quæ jam tractaverat, utens, neque veritus (quod ingenui ſanè & generoſi eſt animi) quibus in rebus intellexit, ſe longius à patrum moribus receſſiſſe, eas res moderari, laudem apud noſtros primi ordinis patres non mediocrem adeptus eſt; cum non privato judicio fidere, ſed Eccleſiæ Catholicæ, & optimi cujuſque lucubrationum ſuarum omnium judicium permittere profiteatur, & poſteriores communes eccleſiaſticos locos ita tractaverit, ut vel de rebus ipſis inter nos facile conveniat, tametſi in verborum uſu videatur diſſidere, vel ſiquid eſt, in quo aliqua ex parte à nobis diſſentiat, non ita magni ſit negocii, ut ob eam cauſam communi tranquillitati, atque concordiæ velit adverſari. Hujus viri ſi prudentiam, modumque veſtrarum partium duces imitari didiciſſent, feroceſque illos mores & maledicentiæ, ac dilacerandi optimi cujuſque ſine delectu deteſtandam conſuetudinem ſuſtuliſſent, longè pacatiorem Chriſtianam rempublicam haberemus. Quid enim eſt, per immortalem Deum, tam furioſum, tam non ſolum ſylveſtres ac barbaros homines, ſed

feras

ferας ipſas repræſentans, quàm, rabioſa illa verborum volumina, & furens dicacitas, cuivis oblatrans, obvium quenque invadens, quæ nil niſi odium, inimicitias, novandarum rerum ſtudium ſpiret, breviterque jus omne, & fas confundere velle videatur? Ecquis enim pudor, obſecro, in quibuſdam? ecquæ Religio? ecquis Divinorum judiciorum metus? ubi Evangelicæ admonitionis illa recordatio; neſcitis cujus ſpiritus eſtis; & diſcite à me, quòd mitis ſim, & humilis corde? Unum tamen in hoc incommodo ſumus commodum conſecuti, quòd noſter Eſau ne ſimulare vocem quidem Jacob potuit, ut Iſaac deciperetur. Hoc tuæ Chriſte gloriæ aſcribendum, tuæque ſapientiæ, ut ea tantum parte excitari hæreſes patiaris, quatenus ad id pertinent, ut tuorum ſegnitiem expergeſaciant, non pietatem evertant, & funditus tollant. Hac benigna Dei noſtri providentia factum eſt, ut ſuperiorum temporum tam multæ, tam periculoſæ, ac peſtilentes ſectæ non ſolum Chriſtianam veritatem non obſcurarint, verum etiam multò eam fecerint illuſtriorem. Obſecro autem vos fratres (nam votum, & ſpes facit, vos ut fratres

appellem, quamvis parum fraternè nobiſcum egeritis) per miſerationes Dei, ut quandò meus hic dolor in paucos è veſtris veſtræ duntaxat ſalutis ſtudio, invectus eſt, ne exiſtimetis me vos omnes onerare voluiſſe, aut exprobrandi potius gratia, quàm admonendi cauſa iſta commemoraſſe; quin mecum pergite ad ea, quæ reliqua ſunt, & commune negocium, quemadmodum certè eſt, exiſtimate: etenim ſi vel minima in re privatæ me utilitatis amore quicquam agere deprehendere poteſtis, nihil recuſo, quo minus me perinde atque inimicum, & hoſtem averſemini, ſin mea omnis induſtria, & labor eò tantum pertinet, ut vos erroribus omnibus abſolvamini, ut Chriſti unius Paſtoris oves eiſdem caulis concludantur, ut quemadmodum unum Deum, unam fidem, unum baptiſma profiteri gloriamur, ſic unum omnes corpus, idem dicamus, idemque ſentiamus, nil cauſæ eſt, cur non æquam vos, ac majorem etiam audiendo diligentiam, atque ego dicendo, adhibeatis. Reliqua igitur erat conſideratio (quod eramus dudum polliciti) quænam eſſet novorum dogmatum tractandi neceſſitas, aut quæ inde uti-

de uti-

de utilitas conſequeretur. Qua in re pervestiganda, tantum abeſt, ut ſcriptores, & auctores eorum, quæ nunc examinanda, proponuntur, deprecer, atque averſer, aut adverſarios meos, nedum hoſtes illos judicem, ut etiam ob nomen Domini Noſtri Jeſu Chriſti obſecrem, & obteſter, ut benigne, ac ſine ſupercilio, hæc tanquam à fratre, fraterno certè animo dicenda, audire non dedignentur. Et ne me forte tanquam ſuorum dogmatum oppugnatorem ſuſpectum habeant, meminerint ante omnia, nullum eſſe mihi nunc in omni hac oratione adverſus eos certamen, verà ne an falſa ſint, quæ ipſi defendant; nam, ſi decertando proſici quicquam poſſet, ſatis eſſe debuerat, quod hactenus pugnatum eſt: at miſerorum mortalium ejuſmodi eſt ingenium, ut quod ſemel defendendum ſuſcepere, id mordicus teneant, pertinaciterque, quibuſcumque datur artibus, tueantur; quo fit, ut vix, aut nunquam potius, dum ſuperandi libido animos occupat, veritas inveniatur, veriſſimèque dictum olim ſit, nimium altercando veritatem amitti. Verum id unum mihi propoſitum eſt, ſi etiam nihil falſi, quod ne ipſos

qui-

quidem poſtulaturos eſſe certò ſcio, unquam docuiſſent, ea tamen, quæ tractare aggreſſi fuere, tanti non eſſe, ut cum manifeſto ſeditionis maximæ periculo tractari debuerint. Congrediamur itaque hoc pacto. Cum ſcitu neceſſaria hæc dogmata veſtra contenditis, illam accipi vultis neceſſitatem proculdubio, quæ ad animarum noſtrarum ſalutem pertinet comparandam, eademque erit de utilitate ratio, atque ex ipſis dogmatibus ea, & acrius defendenda, & tractanda latius, quæ majorem ſecum afferant neceſſitatem. Hujus eſſe generis video illam de libertate arbitrii diſputationem, tum ex uberrimis ſcriptis veſtris, ut ſi qua de re alia, tum ex Principis hæreſeos veſtræ verbis, qui provocanti ad hanc diſputationem his verbis gratias agit.
,, Hoc in te inquiens vehementer laudo, &
,, prædico, quòd ſolus præ omnibus rem ip-
,, ſam es aggreſſus, hoc eſt, ſummam cauſæ,
,, nec me fatigâris alienis illis cauſis, de pa-
,, patu, purgatorio, indulgentiis, ac ſimili-
,, bus nugis potius, quàm cauſis, in quibus
,, me hactenus omnes ferè venati ſunt fru-
,, ſtra. Unus tu ſolus cardinem rerum vidi-
,, ſti & ipſum jugulum petiſti; pro quo ex

ani-

„ animo tibi gratias ago. Hactenus ille. Quibus verbis latè patere arbitror, exiſtimatum huic eſſe, partem hanc de libertate hominum in primis utilem & cognitu neceſſariam. Quid ergo inquis de humana libertate affirmandum? inane eſſe liberi arbitrii nomen, fixa lege ſtare omnia, nullam eſſe poſſe, neque in homine, neque in angelo, ulla ve creata natura arbitrii libertatem. Quid ita? cum credamus Deum præſcire, ac decernere omnia, tum neque falli, neque impediri poſſe ſua præſcientia, & prædeſtinatione, deinde nihil ipſo nolente fieri, & id ipſum fieri neceſſario. Quam ob cauſam id niſi credatur, in periculo eſt ſalus? ne Chriſti imminuatur gloria, quem cum redemiſſe hominem ſuo ſanguine confiteamur, totum profecto hominem fateri cogimur fuiſſe perditum. Quod ſi libertas ulla arbitrii reliqua ſit, vel ſuperfluum, vel exiguæ, ac longè viliſſimæ partis faciemus redemptorem, cum præcipua ſit hæc noſtri pars. Nec ſatis eſt extenuatas admodum fuiſſe peccato arbitrii vires, niſi radicitus evellatur? non? Ergo maximi cujuſque atque ſanctiſſimi ex ſuperiorum temporum theologis, qui aliquid tribuê-

buêre libertati noſtræ, ob hanc tantum cauſam deſperata eſt ſalus? videtur, niſi divina eos benignitas ſit ob ignorationem erroris miſerata. Ah pudeat nos tanti auſus vel ſerò, & illud prophetæ aliquando meminerimus; ſuperbia tantum eſt, quieſce; nam ut taceam, nullam illis ex ignoratione veniam dandam, ſi quod tu excogitare potuiſti, tam neceſſaria in re, illi non præſagierint, longèque meliore conditione, quàm illi, impertiſſimum quenque futurum fuiſſe, ut omittam, nullis, neque auctoritatibus, neque rationibus reperiri, inter res ſcitu, & creditu neceſſarias hoc eſſe adnumerandum; ſcire unum ex te pervelim, quid nobis futurum erat, & reliquis poſteris, niſi lux iſta è tui pectoris ſacrario orbi terrarum illuxiſſet periiſſet ſalutis ſpes omnis? non adeo perfrictæ te frontis effinges, ut hoc affirmes. At illud nobis fortaſſe relictum eſſet ſalutare perfugium, tam abſtruſæ ſcilicet rei ignorantia, tu vero animam tuam non liberaſſes, niſi eis annunciaviſſes? ò conſcientiam acuta perpolitam lima, quæ ita ſubtilia, & quæ cæterorum omnium aciem ſugiant, perſpexerit! neque vero me hic jocari exiſtimes, in re tam

ſeria,

Digitized by Google

ſeria, quin huic tuo ſcrupulo, ſi te forte ſolicitum habet, reſpondeo, ibi fruſtra timeri, ubi non ſit timor, cum ne in ſomnis quidem cuiquam unquam ante te, neque ſapienti neque ſtulto in mentem venerit ſuperſtitioſa iſta religio, neque tuis cogitationibus (nam ad viſiones, & revelationes, opinor, non es deſcenſurus) ita fidendum, ut ſæculis omnibus nova, atque contraria velis introducere. Et hæc quidem ex ea parte dicta ſint, quatenus dubitari de neceſſitate poterat, nunc ad utilitatem eſt veniendum, quæ licet non eiſdem, quibus neceſſitas, anguſtiis circunſcribatur, ſecundas tamen ad ſalutem comparandam, parteis facile obtinet. Docuere doctiſſimi viri, & ſanctiſſimi homines, libertatis aliquid in nobis ſupereſſe ad quærendam ſalutem, quæ tamen ſemper divinæ opis egeat. Hanc ſententiam Scripturæ divinæ teſtimoniis aſtruxere, arbitrati, præterquam quòd ita rem habere ſibi certiſſimè perſuaſerant, hac tutiſſimum iter eſſe, qua neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram deflecteretur. Nam hinc agendi facultas cum proponitur, excitantur ad agendum animi, pigris adimitur excuſatio, habetur ab iis, qui

non

non ingrati omnino ſunt, Deo gratia etiam hoc nomine, quòd hoc generi noſtro præcipuum munus ſit elargitus. Ex altera parte cum docemur, nihil eſſe cauſę, cur viribus noſtris confidamus, inanes eſſe ſine cœleſti adjutorio conatus omnes noſtos, expectandam implorandamque in omnibus rectè factis, quæcunque inſtituimus, ab immortali Deo opem, & gratiam; ſubjicitur humana mens, & unde bona ſua havriat, agnoſcit, ne forte inſoleſcat, & dicat; manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia. Tu ſublata libertate omni, clamas, neceſſitate fieri, quæcunque fiant, omnia enim Divinæ actioni, & omnipotentiæ eſſe ſubjecta; Deum verò in quibuſvis, motu perpetuo eo pacto agere, quales illi ſunt, & quales invenit, ut cum eques ſanos pariter, & claudos equos vehens, illos bene, hos male agit, ſic Deum mala per malos, & per bonos bona facere. Ex hac opinione, quid emanare ad homines boni, quid utilitatis poſſit, equidem neſcio, poterit enim quiſquam, cui exploratum, & fixum ſit, nihilo plus in ſe libertatis ineſſe, quàm in ſtipite aut trunco eniti, accingi, inflammari ad honeſta facta, & præſtantiores ſemper

per virtutes, & cum Paulo, quæ jam tranſi-
liit oblitus, cum ſe nondum apprehendiſſe
arbitretur, ad ea vero, quæ reliqua ſunt, ſeſe
apparans, conari præfixum ſignum, & jam
mentis oculis notatum adipiſci? agi ſe qui-
dem ſinet, at quo pacto, quòve uſque, quid
adhibere ipſe debeat, ne cogitabit quidem,
ut cui jam penitus inſederit totius libertatis
illa privatio. Eadem erit & eorum ratio, qui
variis ſceleribus ſe contaminavere, ut nihil
jam curent, niſi ut in perpetua illa claudica-
tione fruantur quibus poſſunt, voluptatibus,
& ducant in falſis bonis dies ſuos. Quid?
quod multi, cum illam neceſſitatem audi-
unt, ſuſpicabuntur etiam ad peccata homi-
nes cogi, Deumque malorum auctorem eſ-
ſe; quamvis enim tu neceſſitatem diſtinguas,
id vix ab eruditis ipſis intelligitur; at hi pau-
ci ſanè ſunt; reliqua omnis infinita, & impe-
rita multitudo promiſcue, & confuſe, ut ſuis
appetitionibus magis accommodum judica
verit, ſic interpretabitur, & peribit in tua
admiranda ſcientia frater, pro quo Chriſtus
mortuus eſt. Et quoniam hanc libertatis
ſublationem ex Dei præſcientia proficiſci ju-
bes, quem ita vis omnia prævidere, propo-
nere,

nere, & facere, ut nullus eventis, ſive, ut apertius loquamur, contingentiæ locus relinquatur; quid damni, aut quid potius non maximæ utilitatis conſequitur, ſi ſervata præſcientiæ ſua majeſtate, aliqua humanæ libertati permittantur, quæ faciat, necne, in ipſa hominis poteſtate permaneat, neque tamen divinæ Scientiæ quicquam imminuatur? ut cum ab Eliſſæo juſſus fuit Joas rex Iſraël percutere jaculo terram, ille quidem ter duntaxat percuſſit. Neque dubitandum eſt, idipſum præſciſſe Deum, verum, quòd non hæc Dei præſcientia tamen ullam ter feriendæ terræ neceſſitatem attulerit, Eliſſæi, quæ poſt ſecuta eſt, indignatio admonet, quando ſcriptum eſt: cum ter percuſſiſſet, & conſtitiſſet, iratus eſt vir Dei contra eum, & ait; ſi percuſſiſſes, quinquies, aut ſexies, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſummationem. Quæ in regem indignatio, atque reprehenſio, profectò à propheta minime fuiſſet adhibita, niſi intellexiſſet, liberum fuiſſe Regi, amplius, quàm ter, ferire terram, quamvis fixum illud ſtet quàm ſe cunque in partem poteſtas noſtra deflexerit, totum id longe ante à Deo fuiſſe præſcitum; ut Divina non
minus

minus voluntas in hac parte, quàm ſcientia ſit cogitanda, ut velit Deus liberum prorſus id eſſe, quod ab homine ſit faciendum, neque libertas hæc tamen quicquam impediat, quo minus exploratum, & certum ſemper ei ſit, quicquid ſit futurum. Itàque & utilior homini ad res agendas erit hæc cogitatio, & ſimplex, ac germanus ſcripturæ ſenſus retinebitur, ut nulla vis ei afferatur. Quemadmodum & illis in locis, qui vix ſunt numerabiles, quibus præcipit, invitat, adhortatur Deus, ut pro ſua quiſque parte enitatur, agat, progrediatur, ne ſibi deſit, ſalutis ſuæ ſatagat; in hujus generis, inquam, locis cur non ſatius eſt, puram, apertamque amplecti ſignificationem, in tanto præſertim doctiſſimorum hominum conſenſu, quàm ad tropos, & dicendi figuras detorquere orationem, idque opinione propè ſolitaria, ut non quid poſſit, ſed quid debeat homo in ejuſmodi auctoritatibus interpretemur? Utinam, quoties nos invadit diſceptandi libido, recordaremur interdum, quod Apoſtolus admonet, ne ultra, quàm oportet, ſapiamus, atque ut omnia ad ædificationem fiant, in quam ita totus incumbebat, ut ne dona quidem

dem Spiritus Sancti quicquam eſſe exiſtimaret, quæ non referri ad ædificationem cerneret. Gratias ago (inquit) Deo meo, quòd magis, quàm omnes vos, linguis loquor, ſed in Eccleſia volo quinque verba mente mea loqui, ut & alios inſtituam, potius quàm decem millia verborum lingua. Quid nobis tam eſt aut neceſſarium aut ſalutare, quàm noſſe Jeſum eſſe & filium Dei, & æqualem Patri Deum? & tamen ut in prioribus concionibus ſuis Petrus ad Judæos, Divinitatis appellationi parcebat, ne minus capacibus ſalus ipſa damno fieret, atque offendiculo? Quid eum in receptis moribus, non ſatis quidem perpolitis, ſed qui tamen ſalutem non eſſent impedituri, feciſſe, aut facturum fuiſſe exiſtimandum eſt? & nos cœlum terræ permiſcemus, ut majoribus noſtris ſapientiores, acutioreſque eſſe videamur; & argutamur, Sacramentorum numerum, ab Eccleſia jam olim receptum, ac vetuſtate conſecratum, minus prudenter fuiſſe inſtitutum, & rurſus trahimus ad ſubſellia, atque ad examen revocamus (quod nihil eſt aliud, quàm perſuadere populis, non ſatis tuta eſſe, ac firma fidei noſtræ fundamenta) res quarum in uſu

ſi etiam

ſi etiam aliquid ineſſet, quod curioſitati quorundam parum arrideret, potius tamen pietati, ac utentium ſimplicitati ignoſcendum fuerat, quàm committendum, ut ex muſca facto elephanto Chriſtiana reſpublica periclitaretur, dum nullius momenti cauſæ in medium proponerentur. Quid enim obſecro, damni eſt in hac parte, ſi majoribus noſtris viſum fuit, novæ Legis ſacramenta eo complecti numero, qui admodum ſacris literis ſit familiaris, præſertim cum non eandem neque vim, neque neceſſitatem æque omnibus tribuant? Quid hic vel evangelicæ Doctrinæ adverſatur, vel eam obſcurat, quandò ne ex deſcriptione quidem veſtra certus conſtitui numerus poſſit ſacramentorum eo pacto, quo volumus latiore ſpecie appellari ſacramenta? Multo verò curioſiores, magiſque ſuperfluæ contentiones illæ, ac pugnæ, præbeant ne ſacramenta ipſa gratiam, an fides; quæ concertatio cum ad eas ſubtilitates ducat, quæ ne ab ipſis quidem, qui ultro, citroque de illis contendunt, ſatis intelligantur, audebimus & iſta inter res cognitu neceſſarias collocare? Cum venirem ad vos (ait Paulus) veniebam non eminen-

tia ſermonis, aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Dei; non enim me judicavi quicquam ſcire inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & ne forte in Jeſu Chriſti appellatione arbitrarere, interjectas eſſe immenſas de Divinitate diſputationes, addidit, & hunc crucifixum. Audis fidei ſimplicitate, quanta maxima eſſe poteſt, Paulum & uſum eſſe, & utendum ſuo exemplo docuiſſe? an forte ſatis non erat crediidiſſe benignitatem Dei facilem ad ſalutem comparandam, viam excogitaviſſe, ut qui crederet, ac baptizaretur, ſalutem adipiſceretur? hoc & ad intelligendum nullam affert ſecum difficultatem, & multo minus eget ſtultis (ut Pauli verbo utar) & ineruditis, quamvis eruditionem in primis ſibi vendicent, quæſtionibus; quæ tantum abeſt, ut lucem rebus addant, ut hæ ſolæ ea, quæ aperta per ſe ſunt, obſcuriſſimis obruant tenebris. Formam habeto (ait idem, diſcipulum inſtituens) ſanorum ſermonum, quos à me audiſti, cum fide, & charitate, quæ eſt in Chriſto Jeſu. At verò ſani ſermones eſſe quî poſſunt, qui ex ſanis inſanos faciunt? Sed illud nos ſæpe fallit, quòd omnia, quæcunque in dubitationem venire

poſ-

poſſunt, continuò definienda etiam neceſſario judicamus; quam rem fieri non opus eſſe, ſapientiſſime profectò Romanus quidam Pontifex in Pelagianorum difficultatibus reſpondit, his verbis. „ Profundiores, difficilioreſque partes incidentium quæſtio„ num, quas latius pertractarunt, qui hære„ ticis reſtiterunt, ſicut non audemus con„ temnere, ita non neceſſe habemus adſtruere. Ego verò illud etiam magis in nobis miror, quibus cum vetuſtiſſimi illi patres, tanquam abſolutiſſima exemplaria, propoſiti ſint ad imitandum, nos tamen tam imperiti pictores videmur, ut vix nuda lineamenta exprimere didicerimus. Quotus enim quiſque noſtrum eſt, qui illorum tractandæ rei theologicæ ſobrietatem ab Apoſtolo traditam, venerari, ac pro viribus imitari non nolit? at quàm multa Baſiliis, Nazianzenis, Chryſoſtomis ſuccurriſſe credenda ſunt, longè iis & præſtantiora, & acutiora; quæ tantum abeſt, ut prodere ſcriptis ſint auſi, ut aliorum etiam curioſitatem redarguerent? Prævidit olim Paulus, fore tempora, quibus homines ſanam doctrinam non ferentes, & prurientes auribus, coacervaturi ſibi eſſent

magiſtros ſuis appetitionibus conſentaneos; ſed nunc, ut video, multo eſt deterior rerum ſtatus, cum in magiſtris ardentior linguarum pruritus, quàm in diſcipulis aurium deprehendatur. Gaviſus equidem plerunque ſum, & huic ætati noſtræ gratulatus, qua ſophiſtarum importunitatem, & curioſas diſputationes, ac ſuperfluas, nihilque aliud, præter jurgia, & lites ſecum afferentes, damnari cernebam, verum cum iidem ipſi, quos ingenuæ theologiæ aſſertores expectabamus, nihilo interdum inferiores illis, quos reprehendunt, neque minore dignos nota, ob contentionis ſtudium ſeipſos faciant, illa, quam ante animo conceperam, lætitia, in graviorem mihi luctum vertitur. Nam ego quidem, & optimus, opinor, quiſque mecum judicabit, non tam ad ſophiſtarum vitium, præſertim apud Chriſtianos, pertinere, pueriles fallacias, & importunam verborum venationem, quàm tractationem earum rerum, quæ præterquam quòd neceſſariæ non ſunt, digladiandi tantum materiam præbent. Oportebat itaque vos, præcipue in hac parte, vigilantiori judicio uti, quod ſanè omnes boni, & qui antiquum ſcribendi

mo-

morem aliquando renovari optabant, vobis defuiſſe dolent, quibus integre, & pleno, ut ſic dicam, ore gratulari hoc nomine minime potuerunt, quos cum cernerent, & nihilo minus, quàm veſtri, lætarentur tam præclari negocii auctores exiſtere, noluiſſent hanc veſtram gloriam, conſilii inopia, & quorundam parum cauto animi fervore obſcurari. Quare diſcernendum ſic fuerat, & tribus quaſi ordinibus hæc collocanda caſtra, & ſuum cuique ordini pugnandi genus diſtribuendum; ut alia eſſent ſuo vitio nullo modo ferenda, ſed tollenda prorſus, & ab Eccleſiæ moribus releganda; alia, quæ quamvis cum utilitate olim inſtituta fuiſſent, ſuaque natura eſſent ſalutaria, hominum tamen culpa, atque abuſu, jam non minora nunc interdum afferrent damna, quàm antea utilitatem conſueverant; alia denique, in quibus etſi exerceri acuta ingenia, & gloria non levis parari inde poſſet, ea tamen ad pietatem, Chriſtianamque ſimplicitatem non admodum pertinerent. De tribus his partibus cum aliqua breviter dixero, parteis meas, quod ad hanc alloquendi veſtri cauſam ſpectat, abſoluiſſe me judicabo. Primi generis ea ſunt, quæ

tam late patent, ut neque occultari à quoquam poſſint, neque ſingillatim à nobis neceſſe habeant commemorari, perditiſſimi non principum minus, quàm populorum mores; ut recte de utriſque dixiſſe viſus ſit Eſaias; audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei noſtri populus Gomorræ; &, à planta pedis uſque ad verticem non eſt in eis ſanitas. Quid hoc loco, inquies, erat faciendum? tacendum? minime verò; ſed videndum prius, cui, & apud quos, & quo pacto loquendum eſſet, primum ne forte jure in nos quivis jacularetur, quod olim injuria in Servatorem eſt factum; oſtende nobis ſignum, cur hæc facias; quando ne Eſaias quidem ante progredi auſus ſit, quàm & os ignito calculo mundatum, & præceptum ei ſit, clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem, & annuntia populo meo ſcelera eorum; deinde ne importuna fieret, tanquam muſica in luctu, noſtra narratio; poſtremo ne committeremus, ut qui adiutores hujus plenæ majeſtatis provinciæ, & duces etiam habendi fuerant, eos, dum parum circunſpecte agimus, amitteremus, aut etiam, nedum nimis æruginem eradere volumus, frangeretur vas. Neque à ſcriptura de-

eſſe

Digitized by Google

eſſe vobis exempla poterant; ut cum mitteretur Nathan ad Regem David reprehendendum, quàm prudenter, ac civiliter ſic orationem temperavit, ut ſeſe Rex ante ipſe damnârit, quàm eam cauſam, quæ ageretur, ad ſe unum pertinere intelligeret. Non defuerunt profectò, quod neque vos negaveritis, ſed ne hoc tempore quidem deſunt quamplurimi, qui cum Helia æmulatione æmulentur pro domino Deo exercituum, quia dereliquerint pactum domini filii Iſraël, & tamen crudo adhuc ulceri ferrum ad movere formidant, ne qui curari debuerat, morbus amplius recrudeſcat; & ob hanc cauſam circunligare interea malunt, fovere oleo, & molliora adhibere medicamina; neque metuunt, ne dum graviorum malorum timore conticeſcunt errorum cauſæ in eos rejiciantur; cum non ſit idem, ferre, ſiquid ferendum eſt, & probare, ſiquid probandum non eſt. Nunc auſtera iſta, rigidàque ſeveritate, ne dicam furore, neque vitia ſublata ſunt, & bella, ſeditioneſque, quo nihil eſt Chriſtiano nomini magis adverſarium, introductæ; ita, quod admonemur à Sapiente, ne velimus eſſe nimium juſti, maxime fuerat hic cogitan-

tandum; & illud præterea; in his concertationibus id accidere, quod in militaribus expeditionibus uſu venit ubi in ducum magis conſilio, quàm in militum manu omnes victoriæ laudem poſitam eſſe confitentur. Sed alteram, ut propoſueramus, partem aggrediamur, in qua ea locavimus, quæ olim bene ac ſalutariter inſtituta, poſt vel inſcitia hominum, vel malitia ſic depravata ſunt, ut faciem nunc alteram induiſſe videantur. Hujus generis eſſe illa dicetis, quæ in Euchariſtiæ tractatione verſantut, & in pœnitentiæ negocio, & cœnobiorum etiam ritibus, atque inſtitutis; ſint enim hæc pro exemplo, quando veſtra omnia ſingillatim tractare animus non eſt, neque verò neceſſarium. Quibus in rebus proſpiciendum in primis fuerat, ut quæ populorum ſaluti non officerent, ea omnia, quamvis non cuivis ſatis expolita viderentur, diſſimularetis tamen in præſenti, & magis opportuno tempori reſervaretis, & ſaltem Ethnici ſapientis viri ſententiæ meminiſſetis, qui docet, malum, quod bene jaceat, movendum non eſſe, imò verò divinus potius imitandus mos fuerat, qui, quoties novandum eſſet aliquid, ita ſe ad hominum

de-

demiſerit conſuetudinem, ut aliquid ſemper de antiquo remitteret inſtituto. Etenim cum ſelectum illum populum à ſimulacris, & à communi cum reliquis gentibus cultu prohiberet, immolandorum animalium morem, qui ethnicis in primis erat familiaris, toto illo legis per Moſen datæ tempore ſervari paſſus eſt, quanquam non hæc eſſet ejus bona, ut Apoſtolus ait, & placens voluntas, atque perfecta, ut interdum dixerit, ſe non quæſiſſe iſta de eorum manibus, neque in ſacrificiis eos redarguturum, quando ipſius eſſet orbis terræ, & plenitudo ejus, quando, ſi eſuriſſet, non fuiſſet opus populi miniſterio; gratumque eſſe duntaxat ſacrificium laudis, contritum item ſpiritum, & cor humiliatum. Eodem pacto ubi plenitudo temporis cum lucis plenitudine advenit, & docti ſunt homines poſthabitis vitulis & arietibus, exhibere ſua ipſorum corpora hoſtiam viventem, & cultum ratione præditi animantis, & neque circunciſionem eſſe quicquam, neque præputium; aliquandiu tamen admonente Deo, atque ejus Spiritu, legis umbræ, quæ jam inclinaverant, quadam ex parte ſapientiſſime toleratæ ſunt. His

exem-

Digitized by Google

exemplis inſtructos vos, & armatos prodire æquum fuerat, & cum fateamini, non periclitari hominum ſalutem, niſi ſub utraque ſpecie Servatoris Dei noſtri corpus, ſanguiſque acciperetur, non erat tam acriter in Eccleſiarum duces debacchandum, & tam hoſtiles excitandæ tragœdiæ, è quibus nihil, niſi populorum odia, & ſeditionum incitamenta oriri potuiſſe, cæcus profecto, aut apprime ſtolidus eſt, qui non videat. Quid enim, quæſo, ab hac multorum capitum bellua, ideſt confuſa inſcitia multitudinis non eſt timendum? quandò illa etiam, quæ non tollenda, ſed ferenda contenditis, tam perverſe, ob eam tantummodo cauſam, quòd eorum abuſum reprehenditis, accepta à populis ſunt. Hinc illæ apud veſtros nefandæ cædes, & immanis humani cruoris profuſio; tot animarum interitus, tot diſſidia, non pro pietate, ne forte mihi miſſum à Chriſto in terram gladium, & bellum effingatis, ſed contra ipſas Chriſti Leges, atque inſtituta. Non potuit tam, neque diſtincte, neque aperte quidam veſtrum de humana poteſtate loqui, quin ad arma, & ſeditionem itum ſit, cum audiere, inter Chriſtianos, præter
ſolum

ſolum Chriſtum, neminem eſse, qui ſit eminentior, quando omnes inter ſeſe æquales, & unum ſint, eodemque jure, potentia facultate, honore ex æquo fruantur, atque ubi alius non alio major, ſed inferior eſse percupiat; porrò nec poſse, etiam ſi magnopere quis ex animo velit, inſtitui, aut erigi poteſtatem, ubi tales ſint homines, cum indoles, & horum natura non ferat, neque ubi ejuſmodi mortales non ſunt, veros eſse poſse Chriſtianos. Cum hæc vix idonea, quæ in Platonis republica proponerentur, in hominum fæcem ſunt diſseminata, quid ageret turba, niſi quod eſset ſuo nomini conſentaneum? præſertim cum idem auctor interminatus principibus, ut ſibi ab eo caverent, quod ait propheta; effundit contemptum ſuper Principes; per Deum illis ſanctè dejeravit, fore, ut ſi tantillum id verbulum principum negligentia in eoſdem vires acciperet, nulli ſint, quanta eorum cunque potentia, vel Turca non inferior videatur. Atque id jam fieri cœptum eſſe vehementer, paucoſque ſupereſſe Principes, qui non pro morionibus, ac nebulonibus haberentur; ſapere nunc incipere vulgus, & neque velle, neque

poſſe

poſſe eorum tyrannidem, animique perverſitatem tolerari. His vulgus auditis, tanquam ſatis fuerit intendiſſe digitum ad fontem, & viam commonſtraſſe, qua libere grassaretur, nihil philoſophari ultra aut ſcivit, aut voluit, quo pacto geminam filiorum Adæ portionem, & Regnum Chriſti à mundi Regno diſtinxeris, ſed exiſtimavit, opportunum eſse tempus, quo conflarent, inverſa Eſaiæ ſententia, vomeres ſuos in gladios, & falces in enſes. Hi ſunt tam ambitioſe prædicatæ libertatis Chriſtianæ egregii fructus, hæc invecta in Chriſtianos fines pietas, hæc illa lux poſt mille, & eo amplius annos orbi omnium terrarum tandem aliquando declarata. Liceat enim, invito ſanè, ſed manifeſtiſſima dicenti, paululum Dominici gregis damna deflere. O' judicii inops ſæculum, nequid acerbius dicam, quod, quia rem precioſam à vili ſejungere neſciviſti, os Dei eſse nequiſti. Regio illa, quæ antea literarum cultu deſerta, nunc ſumma omnium gratulatione facta irrigua, quaſi Paradiſus Domini putabatur, honorem ſuum non intellexit, & aquarum nitorem ac puritatem, à qua fœcundandi vis eiſdem aquis ingeneratur, tan-

tantiſper ſervare non potuit, dum illibatas tanti muneris largitori munificentiſſimo primitias fructuum ferret. Illa ingenia, per quæ jam intelligendis Pauli Epiſtolis non exiguam lucem addi credebatur, ita parum ſuos impetus moderari curavere, ut ipſe etiam Paulus, ſcelerate quidem, & impie, ſed tamen apud aliquos male interdum audierit. In his ego malis illud non mediocriter doleo, quòd hæc nimium dolenda, nondum eos, quorum primum intererat, video doluiſſe. Sed inſtitutam orationem perſequamur. Peccatum eodem modo fuit in pœnitentiæ controverſia, ut omittam gladiatorias de ejus partibus contentiones, perinde quaſi non ſatis ſit cuivis, non rudi ſolum, verum etiam erudito Chriſtiano, ſcire toto animo, & quibuſcunque poſſis viribus pœnitendum, & expectandam à benignitate Dei infinita cum ea fiducia, quæ filios decet, veniam, aut maxima Chriſtianorum pars, quorum ſaluti inſervire iſta debuerant, harum diviſionum, definitionumque, quæ voſmet etiam fatigant, ſit capax. Ut igitur hæc omittam, videte, quid apud populos, in hac item parte profeceritis, qui tametſi profiteamini, lauda-

riā

ri à vobis vehementer illam in ſacerdotum aures arcanam peccatorum confeſſionem, & miro modo placere, utilemque eſſe, atque adeo neceſſariam, cum unicum afflictis conſcientiis ſit ipſa remedium; quia tamen id tantum modo audierunt, probari eam ex ſcriptura non poſse, à qua una expetendam omnium, quæ agenda homini ſunt, formam ex vobis audiunt, & nunc in tyrannidem fuiſse, & exactionem pontificum redactum opus, illud ex hac prædicatione eſt conſecutum, ut qui vel metu in officio continebantur, nunc ſuo arbitrio relicti, in ſeſe experiantur, poſteriora hæc multò deteriora prioribus. Verum longè illud magis temerarium, abrogaſse ſacerdotum privatam illam dominici corporis, & ſanguinis oblationem, quàm etiam appellatione ſacrificii, quaſi ſacrilego verbo prohibetis, ut egomet mihi interdum videar inter Academicos, Stoicoſque verſari; quanquam teſtibus quoque philoſophis ipſis, re intellecta, in verborum uſu faciles eſſe debeamus, præſertim permittente ſcriptura, quæ ſolis etiam verbis ex pietate pronuntiatis, ſacrificii nuncupationem donat. Immola (inquit) Deo ſacrificium

laudis,

laudis, &, ſacrificium laudis honorificabit me; nobiſque palàm prædicantibus, memoriam dominicæ paſſionis interim oblatione, illa renovari. Decebat ergo, cum nemo veſtrum ita oris duri ſit, ut rem hanc, ſi pie, ſanctèque agatur, non piam judicare audeat, primum non tanta, in appellatione, uſuque vocabuli, contentione decertare, deinde, non funditus tollere, quod ſua natura malum non eſſet. Quandoquidem neque laudi medico datur, ſi, dum putridas recidere, carnes vult, ſinceram partem cum illis trahat. Sufficere poterat, ſanctiſſimi muneris abuſum reprehendiſſe, eorum, qui templum Dei domum facerent negociationis, aut ſpeluncam latronum, non ita venerabile officium inſectari, tanquam nihil à re quavis profaniſſima diſtare videretur. Eſto, princeps ſacerdotis munus ſit, verbo Dei in populum diſſeminando operam dare, & in cœleſtis panis fractione ſervandus mos Servatoris, ut in cæteros fiat diſtributio; verum ubi hoc non fit, exiguum illud, quod ſupererat boni, tametſi eodem illo plurimi abuterentur, fuerat relinquendum, & tolerandum non nihil ad patris noſtri Dei exem-

Digitized by Google

plum, qui tantum abeſt, ut propter ſceleratorum infinitum numerum bonos auferat, ut ipſorum in primis bonorum gratia, etiam vitia perferat impiorum. Ego vero, cum hos ſic præcipites auſus complector animo, mirari ſatis non poſſum, cur iis, qui tam ignotis mundo conſiliis præfuere, non venerit interdum in mentem illa Pauli, cujus nomine tam ambitioſe gloriantur, nunquam pro dignitate laudata dexteritas, qui ſic omnibus omnia fiebat, ut etiam ea, quæ alioqui vitioſa, & culpanda eſſent, non ſolum conaretur in eorum gratiam, quos ad veritatem allicere optaret, efficere, ut tolerabilia viderentur, verum etiam ſtatuere tanquam recta, & firma, quo facilius, quæ ex ſe proferret, introducerentur, nec veritus eſt in medio Areopago dicere, illum ipſum Deum, quem ignorantes colerent, ſe prædicare. O' Divinum ingenium, ò vere electum vas, ò admirandam inſinuationem! Immolaverunt, ait Divinus Moſes, dæmoniis & non Deo, Diis, quos ignorabant; at Paulus intelligens nihil maculæ aut ſordium, hac excogitata via, evangelicæ puritati allini poſſe, ſed iter potius eſſe optimum, atque adeo neceſ-

neceſſarium ad inferendam in eam urbem veritatem,maluit affirmare,veritatem in illis eſſe quidem, ſed ignotam deliteſcere, quàm novam eſſe hanc lucem, & ignoratam hactenus orbi terrarum,quam& ab ipſo cœlo Deus nunc hominum generi demiſiſſet, & ipſe ad eos invexiſſet. Eamus nunc,& improbe mentiamur, Paulinam nos mentem hauſiſſe, qui, quantum diſtat ortus ab occidente, tantum ab ejus moribus differre noſtros facimus. Is in parteis omnes circunſpiciens, ea etiam, quæ licent,à ſe abdicat,niſi ſaluti ſuorum conducant; nos ante ſpiritum omnem effundentes, quàm cogitemus, unde veniat, aut quò vadat, etiam ea, quæ minime licent, tentamus, dum aſſequamur quovis pacto, ut ſententia ſimus ſuperiores. Is materno affectu omnia moderabatur, & ſiquid in ſuos acerbior ob tollendos errores viſus eſſet, continuò ad lenitatis ſpiritum revertebatur; nos ſpiritu furoris acti, omneis ab inferis furias videmur excitaviſſe, quæ omnia, quæcunque humanis viribus aſſequi non daretur, copioſius ſubminiſtrarent, ut major ſcriptorum quorundam pars non niſi conviciis conſtet, atque ejus generis contumeliis, ut qui-

vis manifeſtiſſime in illis agnoſcat certum Eumenidum furorem, aut ſiquid monſtroſius cogitatio inferorum potuit excogitare. Quibus rebus effectum eſt, ut & ii, qui affici huic ſectæ optaviſſent, maxime ſint ab hac opinione alienati, nullam magis ob cauſam, quàm quòd ſentirent, hæc omnia ex ſola rabie, & feritate fuiſſe profecta. Ex hoc fonte facinus quoque illud emanavit ſæculis omnibus memorandum, ut omnia monachorum cœnobia, quæcunque potuere, ſine ullo delectu ſublata, & everſa ſint, idque eorum ſtudiis (ut ex auctorum contemplatione, negocii natura dijudicaretur) qui diuturniorem in cœnobiis moram ferre non potuiſſe viderentur. Quid hoc etiam loco dicturi ſunt iſti Chriſtianæ rei inſtavratores? collocabunt & hoc inter res omnino factu neceſſarias? vel certe utiles? quo tandem id pacto? quia natura, vitioſa res ſit hæc in cœnobii agendæ vitæ ratio? at hi nuſquam hoc dixere; imò vero, & Benedictos, & Bernardos, & Franciſcos, reliquoſque monachorum duces laudant, & docent etiam, quo pacto verum, ac pium votum ſit futurum, &, ne me quis ſuſpectum forte habeat, non

gra-

gravabor ipſa eorum verba, nihil immutans, huic orationi meæ inſerere. ,, Chriſtiano (in- ,, quiunt) & pio affectu vovens ſic cogita- ,, bit neceſſario apud Deum; ecce Deus ,, hoc vitæ genus voveo tibi, non quôd æſti- ,, mem hanc eſſe viam ad juſtitiam, & ſalu- ,, tem aut juſtificationem peccatorum; hoc ,, enim avertat à me miſericordia tua; hoc ,, in Chriſti domini mei redundaret inju- ,, riam, cum hoc ſit negare ejus merita, & ,, ſanguinem ejus pollutum ducere, & oſten- ,, tui habere filium tuum, cujus ſolius eſt ,, hæc gloria, ut ſit agnus Dei, qui tollat pec- ,, catum mundi, in ſanguine ſuo omnes la- ,, vet, & juſtificet. Non abjiciam tam ſacri- ,, legè gratiam tuam; expectabo, & præſu- ,, mam hæc in ipſo ſolo, nequaquam in me, ,, aut ulla creatura, nedum in vobis & ope- ,, ribus meis. Sed hoc ago, quandoquidem ,, in carne vivendum eſt, nec ociandum eſt, ,, apprehendam hanc formam vivendi, e- ,, xercendi corporis gratia, ad ſerviendum ,, proximo, ad meditandum in verbo tuo, ,, quemadmodum alius apprehendit agri- ,, culturam, aut artificium pro ſuo quiſque ,, exercitio, abſque ullo meritorum, aut ju-

 ſtifi-

,, ſtificationis reſpectu, quam oportet in fi-
,, de priorem eſſe, & ſemper ſuperiorem
,, manere, & in omnibus regnare. His certè verbis non ut deteſtanda monachorum vota reprehenduntur, ſed admonentur tantum homines, ita vovere, ut nihil ſuis meritis, aut recte factis confidant; quæ ſanè cogitatio in primis Chriſtiano viro eſt conſentanea. Quid igitur fuit cauſæ quamobrem ac ſalutare factum à ſuis finibus relegarent? Corruptum (inquient) erat jam illud vitæ genus, atque iccirco tollendum è medio judicavimus. Et tam oſcitanter prætermiſiſtis, neque illud adjungere cogitaviſtis, quod vos ſapientiſſimus pater familias multò ante admonuerat, ne cum zizaniis evelleretis ſimul, & triticum? Longè enim majus eſſe conſervandi boni, quàm auferendi mali ſtudium debet; quæ conſideratio effecit, ut meſſis tempus comburendis zizaniis reſervaretur. Dictum præterea Prophetæ fuit; ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes; tantum nè? imò verò, ut & ædifices, & plantes. Quòd, ſi ſceleribus tantummodo vindicandis intendendus eſſet animus, noſtrum

ſtrum genus in ipſis exordiis perdendum fuiſſet, neque Deus unigenito Filio non pepercisſet, neque relictus eſſet ſaluti locus, ut pio ejus cruore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſerviremus illi in ſanctitate, atque juſtitia. Si omnia, quæcunque in impios uſus aut converſa ſunt, aut converti poſſunt, ab hominum uſu judicaverimus removenda, jam olim Solem, Lunam, Cœlum denique totum, & creatam omnem naturam interiiſſe oportuerat, quando tot annorum millibus in eorum contemplatione defixi mortales, & ab Avctore ſuo averſi, creaturæ potius, quàm creatori ſervierunt. Si ulla apud mortales ſtudia aut ſunt, aut unquam fuerunt, quæ diutius irreprehenſa perſeveraverint, habuiſſet fortaſſe aliquid excuſationis iſta temeritas; ſed terræ noſtræ, ex quo tempore execrationi facta obnoxia eſt, tam ſolers cultura nunquam adhiberi poterit, quin ſpinas ferat, & tribulos, cum etiam ſegetes, quæ, & lolio forte, & avenis ſterilibus ſint liberæ, naſci ſine paleis nequeant, nec tamen ceſſandum propterea, aut ab agrorum cultu, aut à ſeminibus terræ committendis. Hoccine Chriſtianam erit inſtavrare rempublicam, deſertam

eam reddere, & ſpoliare habitatoribus? & iis habitatoribus, qui cœleſtium vitam in terra, & in fragili adhuc corpore repræſentent, qui communitatem vitæ, ac victus perfectiſſimam amplexentur, in qua privatarum facultatum poſſeſſio relegata eſt, controverſiæ, & opinionum contrarietas abjerunt, turbatio omnis, & contentio, & lites è medio ſublatæ ſunt; communia verò omnia, animæ, ſententiæ, corpora, quibuſcunque corpora nutriuntur, atque curantur, quemadmodum communis Deus, ſic communis pietatis negociatio, communis ſalus, communia certamina, communes labores, communes coronæ; multi unus, & ille unus, non ſolus, ſed in pluribus? Quid huic reipublicæ par? quid ea beatius? quid connexione, & unitate fortius? quid hac morum & animorum contemperatione gratioſius? Homines diverſorum generum, & regionum incitati in tam exquiſitam, ut ſic dicam, identitatem coaptati ſunt, ut anima una in multis corporibus inſpiciatur, & multa corpora unius voluntatis inſtrumenta videantur. Tales nos à principio Deus eſſe voluit, & in his ut eſſemus, condidit; antiquum hi revocant bonum,

num, primi parentis Adæ peccatum obtegentes; diviſio enim & diſſenſio, & bellum non eſſet inter homines, niſi peccatum naturam diſſecuiſſet. Hi naſcentis Eccleſiæ primordia præ ſe ferunt, & manifeſti Servatoris imitatores, ejuſque in carne conſuetudinis exiſtunt, nam quemadmodum ille chorum diſcipulorum conſtituens, communia omnia, communem ipſe ſe Apoſtolis præbuit, ſic & hi magiſtro ac duci obtemperantes, Apoſtolorum ac Domini formam vivendi accuratè imitantur. Hi vitæ hominum aperté declararunt, ſe diruptam hominum naturam, & infinitas in parteis diſſectam, quantum in ipſis eſt, rurſus & ad ſe ipſam, & ad Deum revocare, atque colligere. Quid, ſi comparemus, præter cœleſtem rempublicam, ad tanti boni æqualitatem accedat? ubi pater quidem unus ſupernum imitans patrem, filii verò multi, mutua erga præſidem ſuum benevolentia certant, inter ſe unanimes, & patrem amplexantes factis cum virtute conjunctis, nullam hi profectò, niſi cœleſtem hic imaginem referunt; incorrupti filii ſuperni patris, & hos incorruptio vindicavit, dilectio colligat ſuperiora, dilectio & hos

hos inter ſe coaptavit. Quæ præterea non ex his caſtris virtutum exempla petita ſunt? quæ non ab his præclari ingenii monumenta relicta? Fingamus animis, neminem hujus vitæ ſtudioſum neque ſuperioribus fuiſſe ſæculis, neque nunc eſſe; quantum & illis ademptum erit, & nobis deerit? quantò craſſiores mundum tenebræ occupaviſſent, niſi ejuſmodi viva ſemper exempla nobis ante oculos verſarentur, hominum, qui in carne extra carnem viverent, qui humana omnia contemnerent, ac pro nihilo putarent, qui divinis in rebus die, noctuque occupati, etiam alios docerent philoſophari? Hoc hominum genus, ob corruptos aliquorum mores, ex hominibus tollere quidam hac ætate tentaverunt. O' ætatem noſtram calamitoſam, quàm penè ſolem è mundo repente ab iis ſublatum videmus, qui lucem tenebras, & tenebras lucem conſtituere. Non hac ergo fuerat ingrediendum via, ſed curandum, quàm fieri poſſet commodiſſime, ut intellectis morbi cauſis, in medicorum morem peritorum, opportuna remedia, & morbo conſentanea adhiberentur; ut levaretur ægrotus, non interficeretur, & repa-

ratis

ratis antiquis viribus, non ſolum ſpectantibus jucunditatem, ſed medico etiam gloriam afferret. Quòd ſi uſpiam greges aliquos ita lues infecißet, ut nihil in eis ſani omnino appareret, non comburendæ continuò caulæ fuerant, ſed ita purgandæ, ut novis inducendis gregibus parata eſſet habitatio. Quare ad inſtavrandum priſcum monachorum decus, presbyterorum item (nam eadem utrorumque ratio) aliorumque Eccleſiæ miniſtrorum, præcipuum illud fuerat, & quaſi cardo rerum, ut ſelectione in iis aut eligendis, aut admittendis uteremur, neque cuivis ſpiritui crederemus, ſed diligentius, diutiuſque probaremus, ut Paulus docet, num ex Deo ſint. Hinc omne boni, malive principium, huc exitus referendus. Plantatio, quam cæleſtis plantat pater, non eradicatur. Hoc niſi fiat, uxorum greges ſi adhibeas, ſcortationes, & cætera carnis flagitia prohibere non poteris; nam illud remedium, ad eradenda pravi cupidinis elementa, admodum eſt imbecillum; ardentior enim fieri ſolet irritata laſcivia; ut interea ſileam, aliiſque relinquam judicandum, quàm deceat, inter quotidianos conjugum amplexus cœle-
ſtia

ſtia tractare myſteria, quotve incommoda ex filiorum, nepotumque gregibus ſecutura ſint. Neque verò mihi nunc Apoſtolorum tempora, vel poſtea rarum avem, unum, aut alterum, quibus liberorum ſuſceptio impedimento ad pure tractandum ſacerdotium, non fuerit, objiciatis; præſens rerum ſtatus potius eſt attendendus, quo præcipua, & penè ſola eſt cogitatio, qui ſint Eccleſiarum reditus, quibus artibus ſe quiſque, ac ſuos locupletet. Verum ſeligite mihi, ut dicebam, eos, qui ab adoleſcentia jugum Domini ferre didicerint, ſacras literas cum Timotheo ab infantia noverint, quæ poſſint eos inſtruere ad ſalutem, affectum illum in Chriſtum Jeſum toto pectore hauſerint, intelligant, quid ſit, immenſam erga nos Dei charitatem in dato filio fuiſſe declaratam, Chriſtianæ philoſophiæ majeſtatem ſint admirati, & in eam rapti, quam ubi cum cæteris rebus omnibus, voluptatibus, opibus honoribus, humanis doctrinis contulerint, omnia ut detrimenta arbitrentur, & ſtercora; ſciant obtemperare majoribus, abundare item, ac penuriam pati, qui cibum in pondere, ſomnum in menſura capiant; quorum de-

liciæ

liciæ ſobrietas ſit, & parſimonia; qui corpus caſtigare cum Paulo, & ſervituti ſubjicere, & laſcivientes appetitionum, ac libidinum motus fame, ſiti, vigiliis perdomare docti ſint, qui jam obturaverint avres ſuas, ne audiant ſanguinem, & clauſerint oculos ſuos, ne videant malum, & ſenſus omnes compoſuerint, ut eorum in pace ſit habitatio; qui denique non ea, quæ videntur, ſed quæ non videntur, cogitare, ſapere, quærere ament, ubi CHRISTUS eſt in dextera Dei ſedens. Hos ſi ad vaſorum Dei cuſtodiam, & cœleſtium myſteriorum diſpenſationem admoveritis, non erit magnopere metuendum, ne aut, ſi cœlibatum voverunt, eos voti pœniteat, aut, ſi non voverunt, uxoris contubernium quærant. Neque me nunc quiſquam putet hominem finxiſſe, qui inveniri nuſquam poſſit; habuit ſemper, & nihilo minus habiturus eſt Chriſtianus orbis has opes, neque deſpero, & hodie, ſiquis etiam Helias ſupereſſe unum ſe vociferaretur, plus quàm ſeptem millia virorum reperienda, qui ad Baal imaginem genua ſua non curuaverunt. At verò dum hæc colluvies, & iſtæ undique collectæ ſordes perdurant, hominum, qui illo-

tis manibus, & pedibus ſine ullo judicio ingrediuntur, aut, rectius dicam, invadunt ſancta, quid ſinceri, quid ſani ſperandum eſt? quid ab eo expectes, cujus ab ipſa pueritia mens pravis opinionibus imbuta ſit? qui adoleſcentiam impudice exegerit, & variis ſceleribus ſeſe contaminaverit? qui omnia, præter unum Chriſtum, norit? qui cum ſacris initiari cogitat, nihil niſi vel ambitionem, vel opes meditetur? cui, quid ſit, credi ſibi eas animas, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, ne in mentem quidem unquam venerit? Ab his auſpiciis quid portendi aliud poteſt, quàm quod toto hujus generis electionum tempore perſpectum eſt? Verum nulla tamen exiſtere debuit tanta perverſitas, quæ nos provocaret, ut vetuſtiſſimum ſanctiſſimumque morem a Chriſti Eccleſia tolleremus; qui cum per ſe optimus ſit, id tantum enitendum fuerat, ut ad veterem formam priſcumque inſtitutum revocaretur, & tanquã avro ſuus color, & ſpecies reſtitueretur. Etenim tutius multò eſt, ea inſtavrare, quæ experti antea fuimus recta atque honeſta, remotis, quæ hominum negligentia obrepſerant, vitiis, quàm incertis eventibus ſeſe committere; quam cogitationem

pleri-

plerique veſtrum ſi habuiſſent, non fuiſſet opinor neceſſarium, tam invidioſe, & tanto cum ſtomacho Romanam Sedem inſectari, & optare dejectam eſſe, ac dirutam. Fingite enim, ut, hoc ſoluto nexu, civitates, Provinciæ, regna, nullam inter ſe rerum eccleſiaſticarum habeant communicationem, ſitque is rerum ſtatus, qui à Scriptura dicitur; in diebus illis non erat rex Iſraël, ſed unuſquiſque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat. Quantò eſſet miſerabilior Chriſtianæ reipublicæ facies? Etenim, cum primum principes, quos inſatiabilis opum appetitus die, noctuque vexat, ſublato metu, qui nunc videtur inſanæ cupiditati ſolus eſſe impedimento, opportunitatem nacti fuerint, impune in Eccleſiarum facultates irrumpendi, & licentiæ fræna laxarint, quis hunc ſtatum illo permutare ſapiens velit? Quo tempore in Epiſcopis eligendis nulla erat divitiarum cogitatio, difficile tamen videbatur, multitudinis judicio fidere; nunc, cum præter ambitionem ad ſolos redditus annuos, nulla jam regendarum animarum cogitata ſolicitudine, aut periculo, animus intenditur, cum non Paſtor quæritur, ſed Eccleſiæ divitum

paſcua

paſcua factæ ſunt, quæ ſeditiones, quæ cædes, quæ malorum incendia excitarenrur, ſi civitatibus hæc eligendi facultas permitteretur? Neque vero negamus, etiam in hoc ſtatu plurima peccari (neque enim inique factorum patroni eſſe volumus) ſed illud conſtantiſſime affirmare audemus, tanto illa graviora fore, & ſceleratiora, quanto & acrioribus, concitatioribuſque animis, & minore conſilio, aut ſine conſilio potius, ſed rabide, ac furenter res agerentur. Quare & utilior omnibus, & vobis honorificentior, & ſummo cum principum, tum populorum favore excepta ratio fuiſſet, ſi poſtulatum eſſet, ut ſtaret quidem ſuo gradu Romana Sedes, neque ulla ex parte illius dignitas imminueretur, verum ad priorem ſpeciem, pulchritudinemque revocaretur; ut Gregorii, Leoneſque ante oculos proponerentur, quibus privatus cenſus brevis eſſet, commune magnum, qui vere cum Paulo gloriarentur, præter ea, quæ extrinſecus imminent, incumbens mihi quotidiana ſolicitudo omnium Eccleſiarum, qui diſcerent in laboribus, & periculis, & infirmitate gloriari, qui, ut opus prophetæ facerent, ſarculo potius,
quàm

Digitized by Google

quàm ſceptro honeſtarentur, ut dicere poſſent, plus omnibus laboravi, qui accincti gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, miniſterium ſuum honorificarent; qui dominari tantum lupis, non clero vellent, ſed forma potius facti gregis, adniterentur, duo illa inter ſe conjungere maxima, cum ſumma poteſtate humilitatem ſummam, atque modeſtiam; qui tanquam fideles, & prudentes ſervi præeſſent; præſentiſſimum venenum dominandi libidinem arbitrarentur; indignationem læſo, lædenti miſerationem impertirent; neve unquam domino ſuo ſe majores facerent, qui non venerat, ut ſibi miniſtraretur, ſed ut aliis miniſtraret; omnia ad exemplar, quod in monte ſibi oſtenſum eſt, conformarent; qui vitiorum ultores, & veræ libertatis vindices toti terrarum orbi apparerent, quorum auctoritate urbes, provinciæ, gentes, regna, tanquam alarum umbra protegerentur; qui contererent molas iniqui, & de illius dentibus auferrent prædam; qui juſtitia induti, & judicio, tanquam veſtimento, ac diademate, Chriſti gloriam facerent uſque ad extremum terræ coruſcare. O' vos beatos, & poſteritati omni commemorandos,

dos, ſi veſtra prudentia, veſtro conſilio id factum eſſet, quod nunc longè ſapientiore modo, ac tranquilliore, favente Deo opt. max. quod certè ſperamus, & volumus, inſtituitur faciendum! Nunquam enim aut defuit, aut defutura eſt ſe quærentibus divina liberalitas, quæ jam ingentem dedit ſui nutus ſignificationem; neque enim perſuaderi mihi unquam poterit, fruſtra, aut temere excitari, & acciri tam egregios animos, quibus princeps cura ſit pietas, & in dies præterea optimum quemque urgere, ut Chriſti Eccleſia, in ſua ſpecie, & decore, noſtro tandem ſæculo conſpiciatur. Hanc ego tunc profectò, & univerſus orbis terræ mecum verè Romanam Sedem, hunc jure maximum, ac beatiſſimum Pontificem appellabit, cujus opera, labore, induſtria, ſudoribus, Chriſtianus orbis ſe viderit reſtitutum. Qui nam illa merita æquare tituli poterunt? exiguum penè erit, quod nunc pro magno dicitur, Princeps Epiſcoporum, hæres Apoſtolorum, univerſi, quacunque tellus patet, gregis, neque ovium ſolum, verum etiam paſtorum paſtor, quique ſuo jure in eos, qui ſuper alios poteſtatem acceperunt, imperium exerceat.

Sed

Sed ne, dum ego jam frui expectatis bonis, hac ipſa commemoratione, mihi videor, dicendi curſum demorer, ad eam partem, quæ ſola reliqua eſt, expediendam feſtinemus, in qua ea collocavimus, quæ ingenia quidem exercere, & gloriam parare inter homines ſolerent, ſed illa tamen Chriſtiana pietas, ſimplicitaſque non ſolùm non requireret, verum ab eis etiam potius perturbaretur. Hæc hujus generis omnia fuerant omnino reticenda, oportebatque, ut generoſe in hac parte geſtientibus animis noſtris imperaremus, ut pleraque, quamvis acute excogitata, commorerentur intra nos, neque metueremus (ut ait Sapiens) ne nos dirumperent; neque enim laudem eſt aſſecutus, qui ait, conceptum ſermonem quis poterit cohibere? cum ſpiritus ipſe prophetarum prophetis ſubjectus ſit. Quanquam ſcio, poſſe mihi à vobis hoc loco noſtros objici, qui auctores, aut magiſtri potius vobis fuiſſe appareant harum curioſarum tractationum. Verum memineritis, me nullo modo ea in noſtris laudare, quæ in vobis reprehendo, ſi pari vituperatione digna ſint, &

apud quoſcunque reperiantur profanæ non ſolum vocum, ſed rerum multò magis novitates, eas ubique viri prudentes abominantur, nihilque in hac re à veſtra ſententia diſtant, niſi quod, dum tranquillo animo, quaſi æqua libra quarumlibet rerum pondera examinant, iniquum recto non confundunt, at quicunque ferè è veſtris ſcripſere, nimio calore animi exardeſcentes, ultra metas interdum delati ſunt. Hinc frequens illa vox, ſophiſtæ, & fœdiora etiam, quæ, ut veſtris parcam, prætereo; nam contumeliæ iis tantummodo ferè ſunt ignominiæ, qui eas protulere. At graves viros, & eos, qui inſtaurandis Eccleſiæ moribus incumberent, decebat ſic dijudicare; nullas eſſe neque facultates, neque artes, tam ſapienter ab hominibus inſtitutas, quin vel in eis aliquid deſiderari poſſit, vel eædem minus accuratè, ac prudenter tractari ſoleant; neque fieri poſſe, ut quicquam omnibus numeris abſolutum humana natura aſſequatur. Illum quoque veterem tractandæ theologiæ morem non æquè feliciter ceſſiſſe omnibus; neque mirandum, ſi & hac ſcholaſtica (quam vocant) diſputandi via, multi ob judicii inopiam ſint abuſi;

abuſi; aut neſcierint Ariſtoteli, qui & ipſe, ſiquid veritati conſentaneum ſcripſit, divinæ etiam hoc munificentiæ eſt aſcribendum, ſuos terminos, extra quos progredi non auderet, aſſignare; poſſe tamen nihilo minus multos, & uberes ex hac, quàm ex aliis, fructus capi, modo ab iis tractetur, quibus judicium, & tractandæ cujuſque rei ſcientia non deſit. Quare deteriorem hic voſmet (pace enim dicam veſtra) cauſam veſtram facitis, qui cum curioſas, & inutiles inſectemini diſputationes, ſententias in vulgus admirandas, & quædam hominum opinionem ſuperantia prodere volueritis, in quibus excepta curioſitate, & inani jactantia, reperire nihil præterea aliud poſſis; ut illa erant, quæ dudum de arbitrii libertate dicebamus; ut illæ determinationes; animas in purgatoriis locis perpetuo peccare tandiu, dum horrent pœnas, & requiem expetunt. Abſtruſam (Deus immortalis) philoſophiam! Eaſdem, quæ viventium ſuffragiis è pœnis liberentur, minus beari, nimirum ut hac perſuaſione, & illæ diutius torqueantur, & nos ad pietatis opus ſimus pigriores. Contagionem illam naturæ, quam fomitem appellant, animas

remorari, quo minus in cœlum eant. Lynceos oculos! Virtutes, quas morales vocant, eſſe peccata. Quid hoc opus erat? ſive in Ariſtotelis fortaſſe invidiam, ſive alia quavis ex cauſa ſit dictum; quemadmodum & illud; opera quævis ante adeptam charitatem eſſe peccata; item in baptizatis pueris manere peccatum. Quamquam non ego illis vehementer moveor, quæ prurientis tantum linguæ indicia præ ſe ferunt; verum, ubi cum illis conjunctæ ſunt parvulorum, qui ſunt in Eccleſia infiniti, offenſiones, miror hos nihil metuere illud evangelicum, væ, & aſinariam molam circumligandam eorum collo, ut in profundo maris demergantur, qui ejuſmodi parvulis ſunt offendiculo; ut vel hoc exemplo appareat, quantum alienæ ſalutis ſatagant, qui tam frigidè ſuam curent. Erat & hoc ſcilicet ſcitu neceſſarium, aut certè ſalutare; contritionem, quæ diſcutiendis, colligendis, deteſtandis peccatis comparatur, hypocritam facere, & magis peccatorem; neque omnia mortifera peccata confitenda, eos enim, qui omnia confiteantur, nihil relinquere miſericordiæ Dei; & hæc (quod miraculum auget) ab eodem ore pro-

proficiſcuntur, quod omnium maxime, quos meminerim, commendat confeſſionem, ut planè afflictis animis, conſcientiiſque neceſſariam; propterea quòd detecta fratri noſtro conſcientia, & malo, quod latebat, & familiariter revelato, verbum ſolatii ex ore fratris accipimus. Quòd ſi detegendi morbi cauſa fieri iſta jubentur, quæ nova medicandi ratio excogitatur, ut ad ſanitatem faciat, aliquam male ſani corporis partem non aperire, doloremque diſſimulare, aut non dolere? At hoc (inquies) indignor, non intelligi, quem ad finem referri iſta velim; nempe, ut fidei virtus latius pateat, apertiuſque illuceſcat. Quis hæc præter te unum (quamquam & de te interdum ſubdubitem) paradoxa intelligat, quæ ſi etiam dilucidè, ac ſole clarius interpretere, vix eruditiſſimi quique huic ita ſublimi theologiæ ſint apti? Ego verò, & mei ſimiles, ſi in ſpiritu humilitatis, & contrito corde, collectiſque diligentiſſime, ac diſcuſſis, & abominatis peccatis omnibus, & exiguis, & magnis, veniam petierimus, eamque ſoli divinæ pietati acceptam retulerimus, non veremur, ne parum tuto res noſtræ ſint collocatæ in loco, neve illi la-

bores,à quibus abhorrere nos jubes damnum ſint allaturi; qua in ſententia ſi & te ſemper contenderis perduraſſe, tollendæ è medio fuerant profanæ vocum novitates, & falſi nominis ſcientia; nam quid eſt profana novitas, ſi hoc non eſt? Heu ſurdas avreis, quæ tam ſæpe damnantem iſta Paulum non exaudierint; ſed nos niſi rara aliqua, ex quibus quæſtiones ſuſcitentur, & quæ admirationem pariant, excogitaverimus, nihil ſumus; at Paulus non ſic; ſed ſtultas (inquit) & ſine diſciplina quæſtiones devita ſciens, quod lites generent. Servum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe in omnes, igitur & in adverſarios, & à ſuis dogmatibus alienos; ubi enim furori locus aliquando erit, cum jubeat, non ſine modeſtia eos corripere, qui veritati adverſentur? Quid verò illa? omnibus eſſe communes Eccleſiæ claves; Chriſtianos omnes eſſe Sacerdotes, qui pari jure poteſtatem in quovis ſacramento habeant; pueros, ac mulieres etiam æque abſolvere à peccatis, atque Papam; cui, è media præſertim plebe, non arrideant? quem non extimulent, ut tandem facto agmine ſancta occupent, & iis ſublatis ritibus,

ritibus, novam pro libidine rerum faciem in Eccleſiam introducant? eoque magis, quod de te audiere, Epiſcopos, Monachos, Sacerdotes, & hujus generis primates reliquos eſſe idololatras; ut remoto omni religionis metu, qui ſolus revocare ab egregio facinore homines videretur, ſcirent, hoc ſe facto ſacrificium Deo exhibere. At verò, ſiqua Chriſtiani orbis regio Amazonas haberet, nihil propius fieri potuiſſet, quam ut hoc quoque perpetuum ſuorum factorum monumentum poſteritati relinquerent; ut tranſlato ad muliebrem ſexum ſacerdotio, idque fortiſſima virorum auctoritate, ipſæ eccleſiaſtica quævis officia adminiſtrarent. Illa demum quam interiora, & recondita? eſſe mortalium (tua enim reponenda ſunt verba) mortaliſſimum, non credere ſe eſſe damnabili, & mortali peccato obnoxium coràm Deo; cui ſententiæ cum è regione illud opponis, ut caveat omnis Chriſtianus, ne unquam incertus ſit, an Deo placeant ſua opera, nam peccare, quicunque ſic dubitet; deinde peſſime docere, qui dicant, neſcire nos, quando ſimus in charitate, & ex adverſo; neminem certum eſſe, ſe non ſemper

pec-

peccare mortaliter; hæc, quæ, opinor, ad illam à te in primis excitatam fidei rationem referri vis, niſi fide percipiantur (nàm aſſequi intelligentia niſi divinus nemo poteſt) ex ſtultis profectò pleroſque omnes inſanos faciunt. Verum poſtea quam oratio ad operum, & fidei mentionem ſponte deflexit, audire de hac quoque parte pauca, quæſo ne gravemini. Veſtram equidem hic maxime vicem doleo, qui ſi cum tranquillitate, ſine indignatione, & bile, quæ omnia recte facta in vitium ſua contagione convertit, hanc verè Chriſtiano dignam viro partem tractaviſſetis, fortaſſe tum merito vos Chriſtianæ libertati faviſſe, gloriari (ſi gloriari cuiquam licet) potuiſſetis. Quid enim tam illos decet, qui Chriſtum norint? quid tam ei, qui ſit harum rerum capax, ad ſciendum utile, aut neceſſarium, quàm ſcire, gratis ſe fuiſſe ſervatum, & juſtitiam noſtram eſſe Dei miſerationes? non enim ex operibus juſtitiæ, quæ nos fecerimus, apparuit ſalutaris illa benignitas, & humanitas Servatoris noſtri Dei, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritus Sancti, quem effu-
dit

dit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Servatorem noſtrum, ut juſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ. Quid autem de operum, tanquam à ſe proficiſcentium, juſtificatione cogitandum cuiquam eſt, qui ſi etiam omnia, quæcumque imperata ſunt, impleverit, quod nemo aſſequi tamen poteſt, jubetur profiteri, ſe inutilem ſervum eſſe? at ſervo, qui nulli ſit uſui, quid præter verbera, aut durius aliquid expectandum aliud eſt? & tamen qui erat opus tam furioſa, & rabida operum inſectatione? & tanta cum invidia de illis loqui, ut diceremus, opera nihil eſſe coram Deo, eàque nihil inter ſe differre, imò verò etiam optime facta peccata eſſe? atque adeo pernicioſum eſſe errorem, ſiquis ad Euchariſtiæ Sacramentum accedat, ea nixus fiducia, quòd nullius ſibi lætalis criminis conſcius ſit? Si eum, qui ita ſentiret, diceres, nondum rerum cardinem aſſecutum, fuerat tolerabile; at vociferari, pernicioſum etiam errorem eſſe, hoc quid efficere aliud queat, non video, niſi ut multitudo, quam experti jam olim eſtis omnia ad ſuas appetitiones detorquere, poſito, qui exiguus ad ſalutem ſuperfuerat,

metu,

metu, recta, & honeſta omnia facta abominetur. At Paulus, quo vos acriores fidei propugnatores eſſe, affirmaturos non exiſtimo, non tanto uſquam opera eſt odio perſecutus; qui ad ea ſic animat, ut dicat, unumquemque mercedem accepturum ſecundum proprium laborem, & redditurum Deum unicuique ſecundum opera ſua. Beneficentiæ (inquit) & communicationis nolite obliviſci, talibus enim hoſtiis conciliatur Deus; ſexcentis item aliis locis; neque ille ſolum, ſed reliqui Apoſtoli, & Servator ipſe, qui cum ad opera frequentiſſime invitarent, nulla interim facta Fidei mentione, non verebantur, ne eidem Fidei injuriam facerent. Atque ut hujus rei teſtimonium ex omni parte haberetur, Angelus, qui ad Centurionem Cornelium ingreſſus eſt, videte quid primum dixerit; preces tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. Quid autem attinuerat ſic ardenter in opera invehi, cum voſmet juſtitiæ operibus operam eſſe dandam non diffiteamini? quia ijs (inquit) juſtificatio tribuebatur; quid tum? impium eſt; quid ita? gratiam Dei abijciunt, quicunque ita ſentiunt, ut illis ſine cauſa

Chri-

Chriſtus mortuus ſit; quid igitur jubes? ut credant ſe Fide juſtificari. Credat ergo aliquis, ſe ob eam cauſam juſtificari, quod crediderit, idque fidei ſuæ meritis aſcribat, quod ſalutem ſit promeritus (ita enim ferè, qui hominem fide juſtificari audient, interpretabuntur) hic ſententiæ veſtræ ſcopum erit aſſecutus? non opinor; nam in eodem cum prioribus hærebit luto, quandò præſtantiſſimo omnium operum, id eſt Fidei, non ipſi Chriſto, ſalutem acceptam referet. Date mihi rurſus hominem, qui cum audierit ſcriptum; reddendum unicuique juxta opera ſua, & Fidem, quæ operibus vacua ſit, nihil diſtare à corpore, cui deſit ſpiritus, & Abraham ex factis juſtificatum immolato Iſaac Filio; ſic ſibi perſuadeat, nulla quidem humana opera tam ingentis ſua natura eſſe meriti, ut juſtum reddant hominem coram Deo; ipſum tamen Deum, qua eſt benignitate, velle hanc factis noſtris tribuere appellationem, & facultatem, ut per illa juſti appareamus, & in hac cogitatione mane ſeminet (ut ait ſapiens) ſemen ſuum, & ad veſperum non dimittat manum ſuam, dum ignorat, utrum hoc an illud ſit placiturum, ſed nihilo

interea

interea minus ante oculos ſemper habeat illum unigeniti filii Dei pro ſe effuſum ſanguinem, qui ſalus verè ſolus, & redemptio ſit noſtra; verum non ita acuti ſit ingenii, ut dijudicare ſciat, utri nam parti, operibus ne, an fidei vim juſtificandi aſſignet; tantum norit, omnem ſui juſtificationem à Deo & Chriſto ejus eſſe profectam; hunc, qui ſic cogitet, longè à veritate aberrare exiſtimabitis? minime ſanè; cum propius, quam ille alter ad veritatem accedat. In hunc itaque modum docendum erat, & formandi ad pietatem, non ad contentionem animi, & ſiqui uſquam vos divexare inutilibus digladiationibus tentaviſſent, illos, ut ſophiſtas contemnere oportebat, atque reſpuere ingenuo, liberòque faſtidio; nunc verò, dum accenſis nimium animis cum adverſariis veſtris congrederemini, innumeram eorum multitudinem, qui vos nihil læſerant, læſiſtis; imò verò qui veſtris favebant partibus, veſtris gladiis confodiſtis. Etenim, quî fieri poteſt, ut maxima hominum pars hæc intelligentia complectatur? è quibus vos cum expedire voſmet ipſos vultis, parum abeſt, quin plureis in laqueos iuducatis; cum verò

ea non

ea non aſſequuntur, quid reſtat, niſi ut & in fidei contemplatione nihilo evaſerint meliores, & ab operibus, quæ vos inſectari tam hoſtiliter audiunt, libentiſſimè ocium agant? Profectò enim, ſi verum facere judicium volumus, multò fuerat tolerabilius, cum operum appellatione etiam illam fidei à diſputationibus noſtris omnino removere, & divinæ tantum in quavis re munificentiæ, & benignitatis meminiſſe, quam committere, ut nos tam periculoſarum controverſiarum auctores exiſteremus; qui ſi illud recordemur, eſſe infinita inter Chriſtianos millia, qui Trinitatis, atque unitatis divinæ myſterium audierint, necne, nihil interſit, quatenus ad eorum rationem intelligendi ſpectat, & tamen ſatis illis eſſe ab eccleſiæ fide pendêre, multò in hoc negotio erimus faciliores. Admonere nos debuerat eorum, qui ante nos ſcripſere, modeſtia, qui cum fidei vim (quippe qui fidei columnæ eſſent) optimè callerent, de rectis, & honeſtis, & dignis Chriſtiano homine factis interdum ſine fidei mentione diſputaverunt; ſcientes latè patere, illam eſſe veluti ſanguinem, qui per ſingula corporis membra diffuſus, vitam eiſdem

mem-

membris ſubminiſtret; aut tanquam ſuper fundamentum jam olim à Chriſto, & Apoſtolis ejus poſitum, ædificantes. Metuenda item fuerant ſuperiorum temporum exempla, quibus cum hæc eadem quæſtio (ut ab Auguſtino obſervatum eſt) quod fide ſine operibus juſtificaremur, agitaretur, dum Pauli verba, & illa ad Romanos diſputatio non recte intelligeretur, accepta à multis occaſio eſt, minimè curandæ rectæ vitæ, ut qui de ſalute confiſi, quæ in fide eſſet, ſecuri degerent; ut credatur ob hanc præcipue cauſam Petrum Apoſtolum ſuos commonefeciſſe, reperiri in Pauli epiſtolis quædam intellectu difficilia, quæ indocti depravarent. Non ſum immemor, non in omnibus reperiri ſcientiam, & ſceleratiſſimum eſſe, ſiquis operibus tantum tribuat, ut illis vel ſua, vel quod magis inſanum eſt, aliorum quoque peccata delere ſe poſſe arbitretur, non agnum illum cogitans, qui & peccatum mundi tollit, & pretium ac vim, quæcunque ea eſt, operibus noſtris addit; ſed ingens fuerat ars adhibenda, ne, dum culpam fugimus, imprudentes delaberemur in vitium, & libertas, in quam vocati ſumus, in occaſionem carnis converterе.

tere.

teretur. Hęc quàm potui breviſſima oratione vobis viri fratres commemoranda eſſe judicavi, proptereaquòd, uſu ſæpe venit, ut homines, dum in ſuarum ſententiarum defenſione attentius defixi ſunt, & rationes ſuas, non tam uti ſunt, quam ut eſſe vellent, ſummo ſtudio ornant, incommoda, quę ex adverſo oriantur, minus diligenter intueri poſſunt, quod ſi multum illis nos debere judicamus, qui in adipiſcendis humanis bonis, & iis, quæ ad agendam exiguam hanc vitam ſunt neceſſaria, quovis pacto, etiam cum nonnulla privati commodi ſpe prodeſſe nobis conati ſint, certè orationem meam, quæ illud unum attendit, ut commodis, & ſaluti veſtræ omnino proſpiciatur, non ingratis animis accipere non recuſabitis, & quæ à benevolentiſſimo corde deprompta ſunt, ea quàm verè dicta fuerint, amice inter vos cognoſcetis; quibus cognitis, reliqua eſſe debet veſtra conſideratio, ut, quemadmodum generoſæ mentes conſueverunt, quicquid in hac parte peccatum eſt, voſmet ipſi & damnare, & corrigere audeatis. Cum enim decipi, & errare, & labi, res ſit in primis hominum naturæ familiaris, neque reperiri quiſquam poſſit, qui nihil

hil peccet, boni ſanè & æqui viri pro maxima laude habere ſolent, ubi primum error ſeſe oſtenderit, ſi illum confeſtim deteſtentur, & à ſe reijciant, majoremque apud omnes gloriam ex ingenua erroris confeſſione acquirunt, quàm antea ex lapſu pepererant vituperationem. Cujus rei vos David regis exemplum commonefaciat, qui poſt abominanda illa facinora cædis, & adulterij, quàm facile admonitus agnovit culpam, quàm etiam eadem culpa ſic repente damnata, & facile eſt promeritus veniam, & immortalem omnibus ſæculis gloriam comparavit. Sed extimulare præterea vos illa cogitatio debet, ut mature de veſtra reconciliatione deliberetis, quòd veſtrarum rerum ſtatus ea eſt conditione, ut omnes, & ille ipſe horum motuum & perturbationum auctor, & princeps longè præſtantiorem, magis certè & ſibi & univerſis ſalutiferam famam parare adhuc poſſit, quàm hactenus fecerit, ſi ad pacis leges accipiendas, depoſita illa à nemine laudanda pertinacia, cervicem deflectere non neglexerit. Qui ſi tanto in rerum cardine ceſſaveritis, futurum eſt, ut hoc, quicquid hactenus nominis acquiſiviſtis, quam

ocyſ-

ocyſſime emarceſcat; jandudum enim cœpiſſe illud defloreſcere experti eſtis, cum exiguo tempore in tot parteis ſecta una diſſecta eſt. Jam enim poſt Lutheranos, Pneumatici, Anabaptiſtæ, Sacramentarii, Iconomaſtiges emerſerunt, & emerſuri alii ſunt, quibus nunc ſolum deeſt, ut nomen, quo à cæteris diſtinguantur, aliquod illis excogitetur, & horum monſtrorum crimen in vos, ut duces, recidit, fitque ſignificatio, qualia fundamenta jacta ſint, ſuper quæ hujus generis ædificia, & hactenus conſtructa fuerunt, & quotidie miſerandum in modo conſtruuntur. Etenim à veſtra officina prodiiſſe inſtructi exiſtimantur, qui Anglicos tumultus excitavere, eoſque tam immanes, ut tantum regnum ea patiatur à ſuis, quibus deteriora vix Chriſtiani hoſtes nominis irrogare potuiſſent. Prophanis ſacra confunduntur, diſcerpitur pro libidine maximum ſacerdotium, cœnobia, & dicati Deo gregis domus evertuntur, cædes piorum fiunt, armantur exercitus in ſuos, novæ in dies ſeditiones recrudeſcunt, & accedunt hæc veſtris titulis omnia, ex quibus major ſemper in vos hominum invidia concitabitur. Quanquam hu-

mani hujus nominis, & famæ levis eſt ſanè & perexigua ratio, ſi cogitationes veſtras ad illud tempus retuleritis, cum æquiſſimo judici Deo, & Domino noſtro Jeſu Chriſto factorum omnium, & conſiliorum noſtrorum reddenda erit ratio; cum illi ipſi, qui nunc homines latent, interiores, & reconditi cordium motus, quales fuerint, quas in parteis inclinaverint, ſine diſſimulatione erunt aperiendi; & dies domini, qui in igne revelabitur, declarabit, uniuſcujuſque opus quale ſit. Quid prodeſt, inani hujus breviſſimi temporis furto lætari, & conari cum cæteris, tum nobiſmetipſis perſuadere, nos defendendæ veritatis cauſa in his contentionibus perſeverare, quas ſolum Chriſtianæ reipublicæ everſionem parare, jam tandem intelligere potuiſtis? Nam præter ea, quæ vobis hac oratione quaſi in curſu enumeravimus, ſcimus, plurimos, eſſe, qui ſtudere vehementer veſtris partibus ſimulant, quibus tamen una eſt cogitatio, & ſcopus, ut everſis, & ſublatis funditus Chriſti legibus, neſcio quam rempublicam ex ſua ſententia introducant. Sed demoliatur Deus tam ſcelerata conſilia, neque patiatur, ut tam diræ peſtes ſub veſtro

nomine

Digitized by Google

nomine veſtrum ipſum nomen fœdent, qui tantum abeſt, ut Chriſti gloriam dejectam optetis, ut vos Chriſtianæ libertatis aſſerendæ gratia commotos, credi ab omnibus volueritis, cujus rei comprobandæ oblatum nunc maxime opportunum tempus agnoſcite. Neque vos ad jungendas dexteras pigriores, frigidioreſque faciat ſuperiorum annorum conſideratio, quibus parum feliciter, aut minus ſapienter fortaſse nonnulli rem tranſigere curaverunt. Nunc maternos Primates noſtri, quorum ego nomine hac legatione fungor, ſinus pandunt; nunc evangelicus Pater paranti reditum filio, ubi primum quantum ferre oculi poſsunt, illum conſpexerit, occurret, in collum irruet, deoſculabitur, ſtolam primam proferet, & feſtos celebrari dies imperabit. Obſecro per Dominum Jeſum, ut unum dicamus omnes, & ſiquid à quoquam injuriæ vos eſse paſsos unquam, ut humàni, vobis perſuaſiſtis, nobis, Chriſto, & illius Eccleſiæ condonetis. Intelligite, hac una reconciliatione, poſse omnem culpam, cui hoc controverſiarum, & contentionum tempore obnoxii fuiſtis, aboleri, & penitus obliterari; abijcite in hoc

negocio humiles, & jis qui humana tantum ſapiunt, conſentaneas opiniones; erigite animi oculos ad illam patris Dei in tradito pro nobis filio charitatem; aſpicite non æſtimabile precium profuſi pro nobis ſanguinis, & precium apud vos habeat; cogitate poſtremam ejuſdem Unigeniti ad Apoſtolos, & per eos ad nos habitam orationem; pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; & in hoc cognoſcent homines, quod diſcipuli mei ſitis, ſi inter vos dilexeritis; at dilectio, dum ita diſcordes animi perſtant, eſse quæ poteſt? Faceſsat aliquando bellorum, & ſeditionum cauſa, pertinacia, atque ſuperbia, cum is imitandus nobis ſit, qui, ut diſceremus à ſe, juſſit, quod eſset mitis, & humilis corde; neque tanti ſit apud nos vincendi amor, ut, dum res parvi, aut nullius potius momenti ſectamur, veram victoriæ laudem imprudentes amittamus. Redeat tandem per vos Eccleſiæ Dei poſt diuturnas tempeſtates ſerena tranquillitas; quod ſi cujus veſtrum ita frigidus ſanguis præcordia occupat, ut illum neque Dei vel amor, vel timor, neque proximorum, & fratrum ulla ratio moveat, is meminerit ſaltem, quod à me toties repeti-

tum

tum eſt, ſalutem in primis ſuam agi; recordetur ſuperiora omnia tempora, poſt ingreſſam in orbem terrarum Chriſtianam lucem, quales exitus illos exceperint omnes, qui ſibi fidentes privatas ſententias fovere, atque illis adhæreſcere auſi ſunt; quorum exemplis admonitos vos, atque deterritos optamus fieri prudentiores. Inſpiret Deus, & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti lucem, & veritatem ſuam veſtris omnium mentibus, & ſpiritus ſui calore veſtras voluntates inflammet, ut propoſitam & oblatam ſalutem agnoſcatis, & amplexemini, ut Eccleſiæ Dei poſito luctu filios ſuos à longis erroribus revocatos ſuo complexu protegi, ſuo ſinu foveri, tandem aliquando læta intueatur.

FINIS.

Digitized by Google

DE MODO DIVITIIS ADHIBENDO

HOMINI CHRISTIANO, DOCTISSIMI

ISIDORI CLARII MONACHI

AD CIVES BRIXIANOS

Salutaris Oratio.

Divites intrabunt regnum Cœlorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORNATISSIMO VIRO
JO: ALOISIO TROTTO

Annonæ Cæſareo Præſidi
F. Minicius Calvus S. P. D.

VIX in animum induxeram has doctiſſimi Iſidori vigilias in lucem dare, cum tu quàm primum occurriſti, qui hoc munuſculo multis ſanè de cauſis dignus videreris. Tu me frequenter hortatus es, ut cum libros excudendi provinciam ſuſcepiſſem, ab his potius feliciori auſpicio initium ſumerem, quæ facerent ad noſtram religionem. Tu ſacrarum literarum lectione ſic afficeris, ut nihil ęquè libenter verſes in manibus, hunc verò libellum, & avidè perlegiſti, & conſtanter probaſti, ut certò ſciam tibi, tuique ſimilibus diſplicere non poſſe. Tua etiam in me humanitas ita me ſibi devinxit, ut quandò tecum

pa-

Digitized by Google

paria facere non poſſim, fateri compellar me tibi plurimum debere, ac rependendi facultatem deeſſe, non voluntatem. Agitur hic præterea de divitiis, qua animi moderatione re potius quàm nomine Chriſtianus jis uti debeat; te verò fama jam conſtans eſt ſic opibus tuis imperare, ut non tibi tantum, ſed cuilibet etiam indigenti eas accumulaſſe credaris, dignus omnino, quem Franciſcus Sfortia acerrimi quidem judicii Princeps, cum ob inſitam probitatem atque ſapientiam, tum ob animi manſuetudinem, ac præcipuam in omnes charitatem, Annonæ præfecerit. Officio igitur meo defuturus mihi videbar, ſi hoc opuſculum ſub tui nominis patrocinio tanquàm debitum non publicarem, cum pręſertim viderem inde ei plurimum & auctoritatis acceſſurum, & jucunditatis. Prodjit (ſicut rectè noſti) ex officina ut religioſiſſimi, ita & eruditiſſimi viri, qui qualem operam navet Chriſtianæ militiæ, propediem ex jis patebit, quæ adhuc habet ſub incude. Supereſt ut læta fronte illud excipias, & utpote pulcherrimum iterum atque iterum legas, cum aliquid otji ab occupationibus tuis, & philoſophiæ ſtudjis impetrare potueris, meæque in te obſervantiæ memor, non tibi tantum diu vivas, ſed amicis. Vale.

QVÆ

QUÆ RATIO DIVITIARUM Homini Chriſtiano habenda ſit, AD CIVES BRIXIANOS *ORATIO, AUCTORE* ISIDORO CLARIO MONACHO.

CUM in omnibus gravioribus cauſis, quæ vel ad hanc vitam optimè regendam, vel ad futuram adipiſcendam maximè pertinent, oporteat vos quicunque huc conveniſtis mecum Cives optimi laborare, atque id non audiendo tantum, ſed mente etiam & cogitatione agitando, quàm vera ſint, quàmque rationi conſentanea quæ pertractentur, tum in hac præcipuè re, qua de agimus difficilima ſanè, & in qua omnes ferè decipiantur, qui ſcilicet divitiarum modus homini Chriſtiano ſit adhibendus,

dus, neceſſe eſt, ut veterem morem imitemini eorum, qui ad celebres ludos, & athletarum certamina ſpectanda conveniebant, quibus imperabatur, ut ſpectaturi nudo & aperto capite conſiderent, hanc ob cauſam, mea ſententia, ut non ſpectatores ſolùm, ſed collaborantes etiam pro ſua quiſque parte eſſe viderentur. Sic certè æquum eſt, vos exiſtimare communem hunc laborem eſſe, neque expectare, dum omnia minima manſa, ut nutrices pueris ſolent, vobis in os inferantur, præſertim in tam periculoſo negotio, de quo uno Servator ipſe noſter dixerit; facilius eſſe Camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum Cœlorum. Nam cum multa ſint, quæ homines à via Dei avocare, & in eam etiam ingreſſos ſupplantare ſoleant (tam variæ enim ſpiritalium venatorum, & latentium latronum inſidiæ ſunt, tot laquei, tot retia, tot foveæ, quæ prophetæ & divini viri ſæpè commemorant, ut, niſi quis capreæ oculos, aut tanquam volucris ſibi pennas comparet, de quibus ſcriptum eſt; fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum, evadere non poſſit, quin fiat venatorum præda miſerabilis) nulla tamen res eſt,

quæ

quæ tam facile capiat imprudentes, atque adeò omne hominum genus miſerè perdat, efficiatque, ut ne ſerò quidem errorem ſuum intelligant, quàm opes, & copiæ, & inſatiabilis habendi ardor; quorum inexplebilis aviditas propterea in dies magis augetur, quòd hanc non ex vitio, ſed ex neceſſitate proficiſci putant. At meminiſſe eos opporteret illas neceſſitates, quæ à natura ſunt, facilè expleri; eos verò affectus, qui ex morbo oriuntur, finem non habere. Quam enim ob cauſam ebrii, & qui aqua ſubter cutem fuſa laborant, ſemper ſitiunt? aut ji, quos Græci ob nimiam cibi appetentiam βουλιμιῶντας vocant, ſemper eſuriunt? nimirum quia non natura, ſed morbus in cauſa eſt. Sic in hoc ſtudio divitiarum, ubi primum animus ultra natura, ac neceſſitatis terminos vagari cœpit, & ſupervacanea appetere, tum demum illa inſatiabilitas generatur, ut nemo, quamvis ingentes in habendo progreſſus fecerit, jam adeptis, & paratis contentus ſit, ſed cum ipſis opibus etiam habendi cupiditas augeatur. Atque illis id uſu venit, quod in rapidis torrentibus, ac ingentibus fluvjis fieri cernimus, ut cum ſemel extra alveum fuerint egreſſi, ri-

paſque

paſque ſuperaverint, jam evagandi terminos neſciant, & præterea obvia quæque ſecum rapiant, ut quidam poeta ait, fluminis morem deſcribens.

Lapides adeſos.

Stirpeſque raptas, & pecus, & domos
Voluentis unà, non ſine montium
Clamore, vicinæque ſylvæ.

Et ſanè quid inter hunc fluvium, & avaritiæ æſtum intereſt? niſi quòd avaro non vicini tantum agri, & armenta, & villæ, ſed neſcio an totius terræ poſſeſſio, & oceanus ipſe ſatis eſſe poſſet. Non meminit communis naturæ, non cognatum eſſe inter ſe hominum genus recordatur, non intelligit terram, atque elementa omnia ea conditione ob optimo Deo creata eſſe, non ut ex eis quiſque ſibi quantum poteſt rapiat, ſed ut contentus eo ſit, quod ad vitæ pertineat neceſſitatem. Non exemplo ſaltem beſtiarum, & ratione carentium animantium ipſe ratione præditus admonetur, quæ cum ea, quæ ſufficiant ad pellendam famem, acceperint, nihil præterea ſibi vendicent, neque alijs invideant alimenta. Quamobrem interminatur illis dominus,

cum

Digitized by Google

cum ſæpè aliàs, tum per prophetam Eſaiam. Væ, inquiens, qui conjungitis, domum ad domum, & agrum agro copulatis, uſque ad terminum loci, nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? in auribus meis ſunt hæc, dicit Dominus exercituum. Perinde quaſi hæc in primis obſervet, & abominetur, & ſemper aures ejus harum rerum clamore circunſonent. Ego verò illud maximè miror, tam ſurdas hujuſce generis hominum eſſe aures, ut, cum non divina tantum volumina in eos invehantur, verùm etiam Oratores, poëtæ, philoſophi, & quicunque vel ſeria, vel jocoſa ſcribunt, eos, ut communem omnium peſtem explodant, & deteſtentur, tantum clamorem ſoli ipſi non exaudiant, ob eam cauſam opinor, quòd audiendi inſtrumenta multo auro occluſerint, ut vox jam ad eos penetrare non poſſit, qui certè ſi quid percipere auditu poſſent, ſola eos unius poëtæ ſententia deteruiſſet, qui cum deſcriberet, quæ hominum genera ad inferos detruſa eſſent, de iis ſic ait;

Aut qui divitiis ſoli incubère repertis,
Nec partem poſuere ſuis, quæ maxima turba eſt.

Quæ ſententia eò etiam majorem habet vim,

quòd non illos ſolùm apud inferos collocat, qui aliena repuere, ſed eos quoque, qui paratis ſoli incubuerunt, & proximo cuique partem ponere neglexerunt, quod mirarer quo pacto ethnicus poëta excogitare potuiſſet, niſi intelligerem id à natura ipſa nos admoneri, vitioſum, atque adeò ſceleratum eſſe, & impium, velle, cum ipſe plenus fueris, ea etiam, quæ ſuperaverint, cum eis alii indigeant, retinere. At quas, obſecro, pœnas ii daturi ſunt, qui in CHRISTI leges nomen dederunt, quibus præter id, quod à ratione, & lege naturæ docentur, ipſa veritas JESUS CHRISTUS Dei Filius, & Deus tam aperta, tamque patentia monita è Cœlo attulit; dat præcepta, intentat minas? Quanto ſe ſcelere obſtringunt ii, qui poſt tantam lucem orbi omnium terrarum declaratam, nondum illud intelligunt, quod ethnici in tanta errorum voragine depreſſi, & tam obſcuris tenebris circunſepti intellexerunt? O vecordiam, ò cimmerias iſtorum tenebras! Equidem in hac cogitatione ita ſtupore opprimor, ita hujus ſceleris deterreor magnitudine, ut facilius ipſe mecum ſic admirando obmuteſcere, quàm orationem, quæ tam

inſi-

inſignem improbitatem arguat, invenire poſſim. Et tamen rurſus me dolor extimulat, contemplantem, quanta ſit paſſim earum jactura animarum, pro quibus ipſe Dei filius ſuam poſuit, qui dolor eo etiam mihi magis augeſcit, quòd pleroſque omnes video in hac parte multa peccare, non obſtinata peccandi voluntate (nam ſic fortaſſe nulla eſſet utilitas admonendi) ſed propterea, quòd neſcio quas ſibi cauſas prætexunt, atque illo opinionum errore decepti, multa ſibi licere exiſtimant, quæ ſi perſpicere aliquantò altius erecti animo poſſent, diſiſterent facilè ſententia, ſed ea nunc, dum ad humiles ſe referunt cogitationes, nequeunt judicare. Quamobrem quò facilior eſſet eorum ſalus, atque paratior, ſi errorem hunc (quando non libenter peccare videntur, neque de induſtria) ſibi ex animo avelli vel ipſi peterent, vel certè paterentur, eò magis excrucior, atque ad verba nunc facienda compellor, ſi fortè (ut prophetæ verbis utar) audiant & quieſcant. Quam obrem omnes, quicunque optatis à vulgi (nam vulgi hic appellatione omnes accipio, qui ab Evangelica norma, & veritate declinant) & imperi-

tæ multitudinis errore liberari, tota mente, atque omni animo ea, quæ hodie ſum dicturus, obſervate; & ſiquid interea dixero, quod fortaſſe quorundam auribus novum, primoque auditu, ob jam corruptos Chriſtianæ diſciplinæ mores, inſolens videatur, quæſo tantiſper judicium veſtrum ſuſtineatis, & eas opiniones, quas vobiſcum attuliſtis, deponatis, dum ego, quæ ſentiam, dico; qui ſi vobis, ut ſpero & veritate ipſa fretus confido, probavero ſententiam meam, æquum erit, ut in eandem vos, relicto errore, veniatis; ſin id non potero, nihil prohibebit, quin cum eiſdem cogitationibus, quas ſecum quiſque tulerat, recedatis; atque ita fiet, ut utrocunque modo res ſit caſura, vobis hæc oratio futura ſit ſalutaris, & vel confirmatiores, ſecurioreſque cum vetuſtis opinionibus abituri, vel erroris admoniti meliorem mentem, ſapientiuſque conſilium aſſecuturi ſitis. Sed unde dicendi nobis facienda exordia ſunt? Opinor oportere prius, ut à vobis audiam, quem vos exiſtimetis eſſe debere parandarum & poſſidendarum opum modum & cauſam. Dicite igitur, quem vos veſtris divitiis & facultatibus ter-

minum

minum ſtatuatis. Vix fieri poteſt (veſtrum aliquis inquiet) aut nunquàm potius, ut pecuniarum nobis, & opum ſatis ſit, nedum ita eis abundemus, ut in alios etiam partiri liceat. Nam, ut eos prætermittamus, qui ſibi manu, & arte victum quæritant, ii, quos domeſticus cenſus alit ex agrorum redditibus, aut quovis proventu alio, uxorem ferè & liberos, reliquamque familiam habent, quæ domus alenda eſt pro cujuſque conditione, ut qui locupletiores ſunt, aliquanto ſplendidius cæteris liberos educent, neque id in cibis tantum, verum in veſtibus etiam, reliquoque apparatu, qui hujuſcemodi domos ſequi ſolet. Dandum præterea aliquid tempori, & moribus, ne ſuperari ab aliis, quibus cenſu pares ſimus, magnificentia, & ſplendore vitæ, videamur. Accedunt nubiles filiæ, quibus hoc præſertim tempore immanes dotes parandæ ſunt, ut viris, qui non inferiori conditione, quàm nos ſimus, collocentur. Deinde ſi numerus creverit liberorum, ampliores ſunt redditus comparandi, ne cum is cenſus, qui ante ſuſceptos tot liberos fuerat inter eos dividetur, prior illa domus gloria imminuatur. Quid? cum tot

caſibus, tam variis, tam repentinis obnoxium ſit genus hominum, quos formidare potius, quàm enumerare poſſumus, num & huic tam neceſſariæ parti non eſt cavendum? nec in hos quoque uſus reponendæ pecuniæ? Hæc veſtra eſt ò viri ſumma ſapientia, ſed ſapientia carnis, quam eandem Paulus ſapientiam hujus mundi appellat, quæ ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim; comprehendam ſapientes in aſtutia eorum. Et rurſum; dominus novit cogitationes ſapientum, quod vanæ ſint. Quamobrem obſecro vos, ut ſecundum eundem Apoſtolum, ſi quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens, id eſt, quam ipſe ſapientiam arbitrabatur, eam exuat, & veram Dei ſapientiam, quam hactenus ſtultitiam opinatus eſt, amplexetur; alioquin quid recti, aut ſapientis conſilii expectandum uſquam eſt, cum ab JESU CHRISTO, id eſt, ab ipſa Dei ſapientia, & magni conſilii angelo, receſſerimus? Sed animus eſt, quando animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei; dum adhuc tam humiles ſunt cogitationes veſtræ, atque humi jacentes, non continuo vobiſcum

agere

Digitized by Google

agere evangelicis dictis; atque ſentententiis, quanquàm id quoque facturus quidem ſum, neque ita multò poſt; quid ni enim faciam? cum ad eos qui CHRISTUM profitentur, habeatur oratio? Sed antequàm divinas auctoritates profero, humanis velim vos rationibus aſſueſcere, ut, cum veritatis lucem, quaſi in aquis inſpexeritis, ipſum demum ſolem purgatioribus oculis contemplemini. Fingite itaque animis, vos eo tempore natos, quo nondum evangelicæ philoſophiæ lumen orbem terrarum illuſtraverat, nulla erat excitandorum ad vitam corporum cognitio, nulla regni cœlorum mentio, Elyſii duntaxat neſcio qui campi, & fortunatæ inſulæ, eæ quoque inter commentitias fabulas numeratæ, nihil de animorum noſtrorum immortalitate certi proferebatur, denique de hac tantum exigua vita fuerat cogitandum. Si in hoc rerum ſtatu eſſetis, fateremini tamen opinor, oportere hominem, non pecudum & beſtiarum, ſed hominis, id eſt, ratione præditi animantis mores habere, & convenienter naturæ vivere, quod nihil eſt aliud, quàm ſemper cum virtute congruere, & ea, quæ ſecundum na-

turam ſunt, ita legere, ſi virtuti non repugnaverint. Hoc ſi negaveritis, ipſi vobis injurii eritis, cum huic ſententiæ illi ipſi fuerint aſſenſi, qui ſine Deo erant, de quibus propheta inquit; omnes dii gentium dæmonia, & ſimulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum, quibus imperitiores, ſtolidioreſque vos eſſe nolle, ſatis mihi perſuadeo. At hujus generis homines nunquàm divitias, ut rem honeſtam, & expetendam ſunt admirati, & dum humanæ mentis veſtigia inter eos fuerunt, id unum honorificum eſſe prædicabant, quod ſapienter, juſtè, conſtanter ac moderatè eſſet factum; minima erat eis rei familiaris amplificandæ cura, maxima ſocietatis & communitatis civium. Cenſebant eandem eſſe debere utilitatem unjuſcujuſque & univerſorum, quam ſi ad ſe quiſque raperet, omnem humanam diſſolvi ſocietatem. Ajebant id à natura præſcribi, ut homo homini, quicunque ſit, ob eam ipſam cauſam tamen, quòd is homo ſit, conſultum velit, itaque neceſſario ſecundum eandem naturam omnium utilitatem debere eſſe communem, quod ſi ita eſt, una contineri omnes, & eadem lege naturæ.

Qua-

Quamobrem princeps apud illos erat communis utilitatis cogitatio; hinc illi Fabricii, Curii, Cincinnati, Pauli, qui domi tenues, foris clari, ſervata ſemper priore rei familiaris inopia, rem tantum publicam amplificabant. Intelligebant enim non opes atque libidines, & vitæ luxum, ſed rectè facta ſplendorem afferre hominibus, cum multò magis, ut iidem ipſi prædicant, ſecundum naturam ſit celſitudo, & magnitudo animi, itemque communitas, juſtitia, liberalitas, quàm voluptas, quàm divitiæ, quàm vita; & multò magnificentius, pro omnibus gentibus (ſi fieri poſſit) conſervandis, aut juvandis maximos labores, moleſtiaſque ſuſcipere, quàm ſibi tantum vivere, non modo ſine ullis moleſtiis, ſed etiam in maximis voluptatibus, omnibus copiis abundantem. Quocirca nihil magni quicquam faciebant, quod non eſſet cum virtute conjunctum, & non modo pluris putare, quod utile videbatur, quàm quod honeſtum, ſed hæc etiam inter ſe comparare, & in his dubitare turpiſſimum erat. Itaque cum ſe ad honeſtatem tantum natos agnoſcerent, fuere quamplurimi, qui uni virtuti appellationem boni tribuerent, cæ-

tera

tera & corporis & externa, nullo modo bona appellanda contenderent; alii minus etiam ſeveri, honeſtum tamen ita ſummum bonum aſſerebant, ut omni pondere gravius eſſet, quàm reliqua omnia, quæ ſi ex altera parte, quemadmodum in lancibus fieri ſolet, collocarentur, vix minimi momenti inſtar haberent. Et ſanè quidem non difficile cuivis eſt intelligere, quæ ea ſint, quæ verè glorioſum, & honeſtum hominem faciant, ſi quis in ſeipſum ingrediatur, & inquirat, quid in homine quoque præcipuum ſit, quo cæteris animantibus antecellat, quidve rurſum in eodem ignobilius, & ad pecudum naturam magis accedens. Sunt enim quaſi duæ humani animi partes, quarum altera ex corporis permiſtione demiſſa, humilis, enervata quodammodo, & languida, & ſenilis, quam qui in conſilium adhibet, cum nihil ſit in homine hac parte deformius, is nihil excogitare egregium poteſt, ſed circa terram ſemper verſetur, neceſſe eſt, cogitetque quibus artibus corpus foveat, corpori ſerviat, & ſola, quæ per corpus fiant, eique ſplendorem afferant, judicet appetenda. Hinc tam multiplices affectus, & ratione carentes appetitiones,

Digitized by Google

nes, voluptates, libidines, perturbationes, aut geſtientis lætitiæ, aut furoris inſani, ut meritò ipſam Plato multorum capitum beſtiæ compararit. Sed in ea non ineſt veri hominis imago, ſed huic præeſt domina omnium & regina ratio, cujus officium eſt, primum cohibere inconditos illius beſtiæ motus, & temeritatem coërcere, quam cum edomuerit, & tamquam feros animos manſuefecerit, ne reginam perturbet ſeverioribus rebus operam dantem, tum ipſa liberè ſua officia exercebit, ſeque fruetur, intelligetque nihil eſſe in mundo aliud ſe ipſa venerabilius, neque præſtantius. Itaque inde bona omnia petet, non jam ab iis, quæ ſub oculorum aſpectum cadunt, ſe colet, ſe obſervabit, &, ſi quando extra ſeſe progredietur, id aget, ut ex pulcherrimo hoc ordine, quem Deus rebus inſeruit, contemplando erudiatur, ad eundem rerum omnium auctorem intelligendum.

Videor mihi hactenus, ſi animum attendiſtis, vos quaſi è lacunis quibuſdam cogitationum, in editiorem ſpeculam evexiſſe, è qua jam ipſi cives mei veſtras, quas dudum protuleratis, per voſmetipſos opiniones de-

ſpi-

ſpicere, & veſtro judicio, eoque purgatiore uti poteſtis. Quare ſic mecum rurſus incipite philoſophari. Si præſtantior noſtri pars mens & animus eſt, atque adeò ſolus hominis appellatione dignus, quem ſol noſter Paulus interiorem hominem appellat, profectò hujus ſervitio, atque uſibus ipſum corpus & externa omnia accommodanda ſunt. At verò modicus corporis victus atque cultus maximè id præſtat, ut faciliora & expeditiora animus ſua officia exerceat, cùm hoc pacto ipſius corporis habitus compoſitior, minus deprimat ſenſus & mentis cogitationes. Deinde opum magnitudo, tantum abeſt, ut, præter id, quod ad paranda vitæ neceſſaria quæritur, animis noſtris ſit adjumento, ut etiam plurimum eos impediat atque perturbet, affectibuſque tum ſuperfluis, tum noxiis identidem impleat, ut longè aliter res cadat, atque divitiæ ſunt inſtitutæ, quæ cum ſervire debeant, efficiunt, ut eis ab animo ſerviatur, quæ præter curas & ſolicitudines, perpetuas divitiarum comites, infinitas ſuggerunt libidines, luxuriæ occaſiones ſuppeditant, inflatos in proximum quenque, & contumelioſos faciunt, denique etiam injuſtos. Etenim ubi

quis

Digitized by Google

quis ſtudere lucro cœperit, atque ad cogendas pecunias animum appulerit, tum nihil metuet alterius incommodo ſuum augere commodum, neque recordabitur, quæ ſit hominum inter ſe à natura inſita conſociatio, itaque tollit convictum humanum & ſocietatem. Si enim ſic erimus affecti, ut propter ſuum quiſque emolumentum alterum negligat, aut, quod ſæpè fieri videmus, ſpoliet, ac violet, diſrumpi neceſſe eſt eam, quæ maximè eſt ſecundum naturam humani generis conjunctionem. Vt ſi unumquodque membrum ſenſum hunc haberet, ut poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet, debilitari, & interire totum corpus neceſſe eſſet, ſic ſi unuſquiſque noſtrum rapiat ad ſe commoda aliorum emolumenti ſui gratia, ſocietas hominum, & communitas evertatur neceſſe eſt. Atqui, cum commoda tantum noſtra ſpectamus, cogitamuſque, quo pacto agros villaſque, & cenſum (quando is honores dat) amplificemus, fieri non poteſt, ut communis ſocietatis rationem ullam habeamus. Aliud præterea hinc genus injuſtitiæ oritur, quòd, dum animi libidinem inter tot opes explere volu-

mus,

mus, magnam earum partem in res ſupervacuas inſumimus, inſanæ parantur ſubſtructiones, ut non domus interdum, ſed oppida videantur, equorum & numerus & apparatus, non jam ad neceſſitatem, ſed pompam, ſervorum greges, quibus ſæpè adiiciuntur aſſentatores & paraſiti, tot gulæ irritamenta, tot veſtimentorum genera, tantum auri, & argenti miſerum corpus, id eſt animi carcerem ambit, præſertim mulierum, quibus dum obſequi volumus, quid pecuniarum non miſerrimè diſperdimus ut mundum earum expleamus? quem copioſè & eleganter Eſaias deſcribit his verbis; in die illa auferet dominus ornamentum calciamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelides, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, & ſyndones, & vittas, & theriſtra. Hæc quidem omnia, cives, ſi conſtare vobis vultis, & in ea ſpecula ſtare, in qua vos dudum collocaveram, fateamini neceſſe eſt, primum nihil veri ſplendoris afferre, qui à ſolo animo petendus eſt, deinde etiam dedecori

cori

Digitized by Google

cori eſſe, quòd & animos ipſos detineant, nec gravibus ac ſe dignis rebus operam dare patiantur, & poſſeſſores ſuos arguant injuſtitiæ, qui nolint egenis ea ſaltem impertiri, quæ non ſupervacanea tantum ſunt, ſed habentibus etiam damno atque ignominiæ. Hæc ſi vera vobis & rationi conſentanea viſa ſunt, quod negare ſine ſummo veſtro probro non poteſtis, jam nihil opus erit tanta parandarum opum ſollicitudine, ſi etiam ingens vos liberorum numerus obruat; nam princeps erit cogitatio & cura, ut quàm optimè educentur, & cum virtute vivant, quæ cum per ſe optima atque omnium pulcherrima poſſeſſio eſt, tum iis, qui eam colunt, etiam opes & facultates parat, contraque ſine virtute clariſſimas plerumque domos ad extremam egeſtatem redigi, & omnino interire videmus. At verò cum locandæ erunt filiæ, non tam facultatum, & opum gloria in deligendo genero vos commovebit, quàm ipſius probitatis contemplatio, & Themiſtoclis vobis factum exemplo erit, qui cum ex procis filiæ, virum probum diviti prætuliſſet, quibuſdam hoc admirantibus, malo, inquit, virum abſque pecunia, quàm pecuniam abſ-

que

que viro. Nam ſi ita affecti eritis, ut omnia ad eam formulam, quam modo deſcripſimus, referatis, ut quævis utilitatis ſpecies præ honeſtate contemnatur, multò malueritis cum virtute viventes, eſſe ei viro Romano ſimiles, cujus ob paupertatem ipſe populus Romanus filiæ dotem confecit, quàm inani tantum oſtentatione quadringenta ſeſtertia parare, ut filia locetur pecunioſo. Sed ne illud quidem quod dudum metuebatis, vos magnopere commovebit, ne varii rerum eventus, atque incerti caſus vos minus à pecunia paratos opprimant, neque enim optimum, ò amici, perfugium contra adverſitates pecunia eſt, alioqui Crœſus, cujus in primis theſauri prædicantur, & plurimi reges alii non fuiſſent ultimis oppreſſi calamitatibus. Valeat poſſeſſor oportet, ait quidam. Curandus eſt in primis animus, qui ſi ſanus fuerit, mox in eo ſitum erit illud, quod quærimus optimum, id eſt ſumma tranquillitas, finiſque moleſtiarum, aliter ſi non ſolum immenſas opes parâris, ſed etiam in cœlo (ut propheta ait) nidum fixeris, illuc uſque te mala calamitateſque comitabuntur. Sed tempus eſt, ut ego vos jam ita alloqui incipiam, non ut homi-

homines tantùm, ſed ut (poſtquam Chriſtianam philoſophiam profiteri cœpiſtis) deos; ego, inquit, dixi dii eſtis, & filii excelſi omnes, nempe ob eam cauſam, quòd ad vos ſermo Dei factus eſt, ut ipſa etiam veritas eſt interpretata, qui incerta atque occulta ſapientiæ ſuæ vobis manifeſtavit. Verùm reficite vos prius, quæſo auditores mei, & vires aliquantum reparate, ut animos ita vegetos & alacres ad ea, quæ reliqua ſunt, audienda afferatis, perinde quaſi nunc dicendi principium fiat. Agitur enim veſtra ſalus, aguntur ea, quæ aut obſervata perpetuam felicitatem, aut neglecta æternum interitum ſunt allatura. Nam in ſuperiori vitæ ſtatu, quem pro rei magnitudine breviter dudum deformavimus, non convenienter naturæ vixiſſe, ignominioſum quidem erat & flagitioſum, verùm cum vivendi finis factus eſſet, ſicut nullus vitæ ſenſus, ſic nulla ſcelerum ultio, neque pœna ulla expectabatur, & tamen ſola naturæ noſtræ conſideratio nos fateri cogebat, nullam cujuſquam rei, niſi virtutis & honeſtatis habendam eſſe rationem, ſatiſque perſuaſum nobis eſse debere, etiam ſi Gygis illius Platonici exemplo, beneficio

annuli omnia aſſequi poſſemus, ut etiam id Deo, hominibuſque futurum ſit ſemper ignotum, nihil tamen avarè, nihil injuſtè, nihil libidinoſè, nihil incontinenter eſſe faciendum. Quo verò nunc animo Chriſtianum virum eſſe decet, qui ex Evangelicis dogmatibus doctus eſt, quo pacto ſibi vivendum ſit? cui è Cœlo demiſſa mandata, legeſque vitæ ſunt? cui exploratum eſt, omnium non modo factorum, ſed cogitationum etiam rationem judici Deo eſſe reddendam? qui certò ſcit, iniquè factis æternum exilium, & inextinctum ignem eſſe decretum? Si, quo tempore nihil præter hanc vitam, erat, quod ſperare auderemus, ut penè illud prophetæ dicere liceret; edamus & bibamus, cras enim moriemur, tamen neglecta voluptate, ipſis, quæ in nobis ſentiebamus, naturæ principiis parere, eaque ſequi oportere judicabamus; quæ tandem nunc eſſe debet cogitatio homini, cui, poſteaquàm hos labores hujus exigui ſpatii exantlaverit, vita promittatur cum beatiſſima, tum longiſſima, nimirum æterna, cum qua hæc ſi conferatur vix momenti inſtar habere videatur? O ſurdas hominum aures, ò cæcas mentes, qui cum nihil niſi felicita-

citatem appetere videantur, eam propoſitam averſentur! Regnum venale proponitur idque perpetuum & immenſum, ipſum videlicet cœlum, quod quàm minimo emi poſſit, & mortales ſæpiſſimè multò malunt exiguo luto adhæreſcere, & tenuem cenſum bonis anteferre ſempiternis. Quæ eſt in hominibus tanta perverſitas, ut inventis frugibus, glande veſcantur? Quid facturi fuiſſetis, ſi quàm longiſſima Deus vitæ ſpacia decreviſſet, neque tam anguſtos vobis cancellos circundediſſet? Quid? ſi vel his in exiguis terminis certi aliquid reliquiſſet, neque prudens (ut ait quidam poeta) futuri temporis exitum caligínoſa nocte depreſſiſſet? Cur in tam periculoſa alea ſic ſupini & ſomniculoſi eſtis? Quis veſtrum tam manifeſtè inſanus, qui duabus propoſitis hæreditatibus, altera tenui, & quam facile quivis poſſit diripere, altera tuta & locupleti, non hanc illi præferat? & tamen in hoc tanto negocio ab omnibus ferè hac inſania laboratur. Nam quid tandem eſt, quod hìc magnum, aut admirandum videri poſſit, ſi etiam totius terræ quis imperium adipiſcatur, ſi ad illa Cœli immenſa ſpatia oculos referat? Hanc enim ob cauſam

mundi centrum terram appellaverunt, quòd puncti inſtar ad Cœli ambitum habeat. Sed fac iis magnum aliquid eſſe, quorum graves oculi altius attolli nequeunt, quàm ridenda eſt tamen ejus rei vel appetitio, vel poſſeſſio quam auferre levis morbus, aut cantharidis virus, vel ſcorpii morſus poſſit? quam mors omnibus horis imminens, ne uno quidem temporis momento certam, ac tutam, ut dici noſtra poſſit, eſſe patiatur? Sed videamus jam quem nobis in divitiarum uſu modum divina oracula conſtituant, ut ſi humanæ vos fortaſſe rationes non ſatis moverint, nil cauſæ ſit, cur præcepta, legeſque divinas repudietis. Quid igitur admonet ipſa Dei ſapientia, cui humana veſtra aſtutia potius, quàm ſapientia tam facilè adverſatur? Nolite recondere vobis theſauros in terra. Quam ob cauſam? ubi erugo & tinea corrumpit, & ubi fures perfodiunt, & furantur. Num cenſetis Deum veſtris copiis invidere? eum, qui tam immenſa elementorum inſtituit ſpacia, ut eſſet quod omnibus abundè ſuppeditaretur? Quid ergo? Recondite vobis theſauros in Cœlo, ubi neque erugo, neque tinea corrumpit, & ubi fures non perfodiunt, nec furantur.

An-

Digitized by Google

Ante enim quàm ulla regni Cœlorum mentio facta eſt, nihil mirum erat, ſi, cum neque melior, neque tutior locus haberetur, terra reponendis theſauris eligebatur, at nunc patefacta ad Cœlum via, quid tineis exponis, ac furibus, rem præſertim, quam tanti facis, cum eam in tuto liceat collocare? Hoc aliam præterea utilitatem parit, ut cor à caducis & humilibus hiſce curis ſeſe expediat, inque dignam ſe vindicet libertatem, ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum; propterea etiam inquit; dico vobis, ne ſitis ſoliciti dicentes, quid edemus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur? hæc enim gentes inquirunt, quæ cum ignorent Deo res humanas ſic curæ eſſe, ut volucres etiam, tam vagum genus, ut nihil minus, quàm de annuo victu cogitent, paſcat, & lilia ac reliquos flores ita veſtiat, ut nulla hominum ars æquare illam ſpeciem poſſit, ipſæ ingenio ac induſtriæ tantum ſuæ confidentes, pecunias congerunt, & ab arca potius, quàm ab ipſo Deo vitæ præſidia expectant. Quid vult hic pallor, quem video in quorundam veſtrum ore repente extitiſſe? bene habet. Intelligitis enim, opinor, quanto vos ſcelere impruden-

tes implicaveritis; cum tam pertinax habendi cupido illis ſimiles faciat, qui ita barbaris ac ſeris moribus ſunt,ut ne, an Deus quidem ſit,ſciant. Simul illud cogitatis, una evangelica ſententia,omnia veſtra,quæ vobis firmiſſima videbantur, fundamenta everſa eſse. Sed ſalutaris eſt, & optanda etiam vobis ipſi hæc cauſæ veſtræ jactura; id enim nihil aliud eſt, quàm falſas opiniones exuere,& induere meliores. Quid igitur eſt faciendum, cum à veſtris conſiliis receſſeritis? Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adiicientur vobis. Principem curam eſſe vult illam adipiſcendi regni cœleſtis, cœtera verò quædam tanquam additamenta, quæ pollicetur ipſe ſe appoſiturum, ne hæc vos occaſio quærendæ rei familiaris, à gravioribus, & magis neceſſariis cogitationibus avocet. Scit ille (quid enim Deum lateat?)& longè etiam melius, quàm nos ipſi, quibus rebus quiſque egeat, præſto etiam ei ſunt, quæ pro cujuſque indigentia tribuat; nam gloria, & divitiæ in domo ejus; profitetur res noſtras nihilo minus ſibi cordi eſſe, quàm ſit filius matri; imò verò ſi illa oblita fuerit, inquit, ego tui non oblivifcar. Et dubitamus adhuc, totos nos

illius

illius committere fidei? digni profectò, quos neglectos ſtultitiæ & inſaniæ noſtræ relinquat, quod ſi fiat, ſuprema nos calamitas, & interitus conſequetur. Quare jam illud incipite amplexari, quod propheta unumquemque ſic admonet; jacta in dominum curam tua, & ipſe te enutriet. Qui ipſe de ſe, deque ſui ſimilibus alibi ait; Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ, ibi me collocavit. Cum non ſim neſcius (inquit) Deum mei enutriendi curam cepiſſe, quid ſub tam benevolo, atque etiam divite, & pervigili paſtore deeſſe uſquam poteſt? Quid verò univerſum genus hominum aliud eſt, quàm quidam ovium greges? ſicut ſcriptum eſt; nos autem populus ejus, & oves paſcuæ ejus, &, deduxiſti ſicut oves populum tuum. Quas cum ipſe paſtorum princeps curat, tum aliis ſub ſe, atque à ſe inſtitutis paſtoribus commendat. Hi ſunt miniſtri ſpiritus, qui in miniſterium emittuntur, propter eos, qui hæredes ſalutis futuri ſunt. At homines ſeſe aliquid arbitrati, &, quicquid paraverunt facultatum, ſuæ induſtriæ aſcribentes, ſuum appellare non formidant, quod paſtoris beneficio, providentia, cura ſunt aſſecuti. Hoc,

inquiunt, anno tantum frumenti numerum ex agris noſtris in horrea inveximus, tot vini cados ex noſtris vineis condidimus, noſtra hæc ſunt, noſtra arte, & ſtudio quæſita. Age ſi paſtor veſter imperaſſet nubibus, ne pluerent ſuper terram, quod an poſſit, Eliæ vobis tempora exemplo ſint, & eandem terram æneam feciſſet, vimque eam, quam illi principio ingenuerat, ſubduxiſſet, & zephyros lenè ſpirantes, ac vitali flatu fœcunditatem arboribus afferentes, in theſauris ſuis continuiſſet, aut etiam poſt natas fruges grandinem, locuſtas, brucos, cæteraſque Ægypto olim cognitas plagas, immiſiſſet, quid veſtra, quid agricolarum ſtudia profeciſſent? Sic neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus. Deinde noſtræ inquitis ſunt vineæ, noſtri agri. Quo tandem id pacto? Nonne nudus ejectus ex utero es? unde ergo tibi hæ copiæ? ſi caſu, & fortuna hæc tibi obveniſſe contendas, impius ſis, qui Auctorem tuum ignores, qui ne gratiam quidem habere ei, qui dederit velis; ſin fateris, quod omnino oportet, hæc à Deo tibi adeſſe, dicito quamnam ob cauſam tu ab eo juſta plus parte acceperis? Num injuſtus

Deus,

Deus, qui non æquè omnibus vitæ neceſſaria partiatur? Cur ergo ille eſurit, tu verò ebrius es? ille inopia conficitur, tu divitiis abundas? Quam hujus rei cauſam aliam arbitraris, niſi quòd id jubet Deus, ut præter ea, quæ tibi ad uſum vivendi ſatis eſſe poſſunt, cætera, non jam tua, tanquam fidus procurator conſervis tuis impertitus, pietatis, & fidei mercedem referas? Verùm de hac quaſi bonorum procuratione, quæ divitibus credita eſt, poſt paulò oportuniore loco diſputabimus, nunc quod inſtat perſequamur. Si hæc immanis divitiarum, & facultatum ſolicitudo habenda eſt, ad quos eam judicabitis pertinere? num ad viventes ſolum, an ad eos etiam, qui vita defuncti ſunt? Nempe ad vivos. At vos mortui (ait Paulus) eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum CHRISTO in Deo. Et alio etiam loco; ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt CHRISTUS, ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Pulchra & plena ſapientiæ argumentatio; cum enim dicitur unum pro omnibus mortem oppetiviſſe, ſignificatio fit, eos jam morti addi-

ctos

Digitized by Google

ctos fuiſſe, pro quibus liberandis ille objerit mortem. Sed quid hac vita faciendum eſt quam ipſis eſt elargitus? ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt. Tantum ne? imò & reſurrexit, nem pe propter eoſdem ipſos; nam reſurrexit propter juſtificationem noſtri. O' charitatem! cùm nos ſua morte, quicquid viveremus, jam ſibi obligaſſet, noluit, ne id quidem, quod ei deberemus, ſine maximo noſtro lucro à nobis reddi. O' perfidum genus homines! Summum quod habuit, precium ſolvit pro vobis unigenitus filius Dei; quæ res effecit, ut ei perpetuo nexu obligaremini; ille tamen, qua eſt pietate, mercedem adhuc maximam huic ſervitio (quanquàm illud deberetis) conſtituit. At vos nec majeſtatem revereri, nec beneficentia attrahi, nec officio commoveri poteſtis? Non igitur (ut eò revertar unde digreſſus ſum) licet jam viro Chriſtiano ſibi, ſed liberatori tantùm ſuo vivere, id eſt ea tantùm quærere, cogitare, aggredi, quæ illi grata futura eſſe intelligat; quod tum fit cum regnum Dei, & illius cœleſtis reipublicæ conſuetudo, & commercium quæritur; atque eam ob cauſam dixit Apoſtolus; mortui eſtis,

ne

Digitized by Google

ne exiſtimaretis de hac exigua vita poſthac eſſe cogitandum;de qua ergo? Vita veſtra abſcondita eſt cum CHRISTO in Deo. Hæc ſolicitudo ſola vobis reliqua eſſe debet, niſi fruſtra in CHRISTUM volueritis crediďiſſe, huc omnis, cum de uxore, liberis, familia, facultatibus, copiis, honoribus deliberatis, referenda cogitatio eſt, non quibus artibus humanum hunc inanemque ſplendorem, & umbris ſimilem, & jam jamque deſiturum, filiis ac nepotibus veſtris comparetis. Ad regnum potius inſtituendi ſunt, & formandi; turpiſſimum enim eſt, atque etiam flagitioſiſſimum, ut, qui in tantam, tamque præclaram civitatem nomen ſuum dederit, idem in aliam rempublicam aſcribi velit. At verò damnum etiam ſummum conſequatur neceſſe eſt; nam idem hic uſuvenit, quod jure Romano ſancitum erat; apud quos cum duarum civitatum nemo eſſe poſſet, tum civitas Romana amittebatur, cum in alienam quis civitatem receptus eſset, quod quaſi exilium quoddam exiſtimabatur. Equidem miror, ſi quod Evangelicæ doctrinæ, & Chriſtiani nominis ſimulachrum in vobis eſt, ſi, cum regni appellatio aures veſtras circunſo-

nat,

nat, non quiſque veſtrum lætitia geſtit, & omnia, quamvis magna, quamvis ſpectanda, cum Apoſtolo arbitratur, ut ſtercora. Etenim ſi uſque ad hunc diem nihil de Deo quicquam, de Cœlo, ac futura vita unquam audiviſſetis, & in hac ignoratione de repente quiſpiam exiſteret, qui ſe diceret è Cœlo ab ipſo Deo miſſum, atque id ita vobis probaret, ut quivis illi fidem habere poſſet; deinde hanc veſtram vitam vix unius noctis ſomnio ſimilem eſſe prædicaret præ ea, quæ poſt iſtam ſecutura eſſet, & eam ipſam vitam iis, qui hæc caduca contemnerent, futuram beatiſſimam in maximis opibus, & copiis, & regiis honoribus; contra verò reliquos, qui his hujus vitæ ſimulachris illecti, iſta omni ſtudio amplecterentur, in obſcuriſſimum carcerem detruſum iri, ubi ſine ullo fine aſperrimis cruciatibus torquendi eſſent; opinor vos hoc accepto tam admirando nuncio primùm attonitos, & immotos repentino ſtupore futuros fuiſse, deinde, ubi vires, ſenſuſque collegiſsetis, omnia ſponte projecturos, atque id, quod eſt, exiſtimaturos, in illa, quæ videretur, jactura vos lutum auro permutare. Quam enim aliam ob cauſam in illis ſurgen-

tis

tis Eccleſiæ exordiis, ii, qui CHRISTI fidem profitebantur, vendebant prædia, & omnium facultatum precium ad Apoſtolorum pedes proiiciebant? Nempe & cogitatione, & intimis ſenſibus, rerum, quæ promitterentur, magnitudinem complectebantur, quarum contemplationi ita affigebantur, ut hæc humana, ſi cum illis compararentur, non eſſe potius, quàm eſſe aliquid judicarent. At verò nunc, ò tempora, ò mores, ò profuſum ingratis pium CHRISTI cruorem! nunc, cum JESU nomen cum nutricis lacte ſugimus, cum primas infantiæ voces ipſius JESU CHRISTI appellatione formamus, tamen adulti nihil minus, quàm CHRISTUM agnoſcimus. Ecqui enim eſt pudor? ecquæ religio? ecqui aut minarum metus, aut futurorum bonorum cogitatio? Utinam id à Deo imperatum eſſet, (quanquam nolim opinemini, hæc à me imprecandi potius cauſa, quàm ſalutis veſtræ ſtudio optari) ſed ſi id ſancitum divino oraculo fuiſſet, ut, qui non omnia abiiceret, atque à ſe penitus abdicaret, nullam certò ſciret illius regni aſſequendi ſpem ſibi reliquam eſſe, quid facturi fuiſsetis? Perterruit, ut video,

deo, vos iſta conditio, quam tamen conditionem profectò, niſi ſtulti, atque adeò inſani ſitis, reciperetis; cum harum rerum brevis uſus, & inconſtantia, & illius præterea æternitatis ſubiret animum recordatio. Nunc verò ſub tam bona, tamque facili conditione, ne iis quidem divitiis contenti eſtis, quæ ad vitam honeſtè, & cum virtute vivendam ſatis ſint, niſi toti eis invigiletis, perinde quaſi in illis ſumma inſit beatitudo, cum potius quid non ibi ſceleris, & furoris in tam inſana appetitione reperitur? Sed quidam error plurimos veſtrum maximè fallit, quòd exiſtiment poſse ſe divitias parare ſine jactura regni Cœlorum, neque eos terret Apoſtolus, qui de iis ſic ait; qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas, ſtultas, ac noxias, quæ demergunt homines in exitium, & interitum. Siquidem radix omnium malorum eſt ſtudium pecuniæ, quam quidam dum appetunt aberraverunt à fide, & ſeipſos implicuerunt doloribus multis. Et paulò poſt; iis qui divites ſunt in præſenti ſæculo præcipe ne elato ſint animo, neque ſpem ponant in divitiis incertis, ſed in Deo vivente, qui præbet nobis omnia abundè

Digitized by Google

dè ad fruendum, ut benefaciant, ut divites ſint operibus bonis, ut faciles ſint ad impertiendum, libenter communicantes, recondentes ſibi ipſis fundamentum bonum in poſterum, ut apprehendant vitam æternam. Audiſtis & intentatas iis, qui divites eſſe volunt, minas, id eſt exitium & interitum, & ſola beneficentia & largitate vitam æternam haberi poſse? Quid? non ab imis præcordiis commovemini ex ipſius veritatis verbis, cum ait; quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt? Quæ verba cum vellet ſenſibus hominum diligentius affigi, admirantibus diſcipulis, iterum adjecit; filii quàm difficilè eſt eos, qui fiduciam habent in pecuniis, regnum ingredi! facilius eſt Camelum per foramen acus ingredi, quàm divitem intrare in regnum Dei. Terrificam certè orationem; quæ ſi ad ipſius animi aures introduceretur, neque ad ſolum corporis ſenſum perveniret, nihil dubito, quin omnes certatim, quò quis eſſet locupletior, ſupervacua onera eſſent depoſituri, atque id flagitaturi, quod ſapientiſſimus ille ſapientiſſimè poſtulabat; divitias, & paupertates ne dederis mihi, ſed tantùm victui meo tribue

ne-

neceſſaria. Nam per immortalem Deum, quæ eſt iſta vecordia, nolle, cum poſſis, & hanc vitam jucundiſſimè agere, & futuram illam interea præparare? Id verò fieret, ſi moleſtiſſimam tam multarum opum curam abiiceres, & paratis ita fruerere, ut & à divinis legibus, & ab ipſa etiam ratione admoneris, quod dum facere homines contemnunt, dignas ſua ſtultitia pœnas dant, ut non ſolum illa piis expectata regni cœleſtis hæreditate ſint cārituri, verùm etiam, quicquid hic vivunt, vivant infeliciſſimè. Audi enim, quid de his ſentiat Eccleſiaſtes; avarus non implebitur pecunia, & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis, & hoc ergo vanitas. Ubi ſunt multæ opes, multi & qui comedunt eas, & quid prodeſt poſſeſſori, niſi quòd cernit divitias oculis ſuis? Dulcis eſt ſomnus operanti, ſive parum, ſive multum comedat, ſaturitas autem divitis non ſinit eum dormire. Et paulò poſt; eſt & aliud malum, quod vidi ſub ſole, & quidem frequens apud homines. Vir cui dedit Deus divitias, & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus, quæ deſiderat, nec tribuit ei poteſtatem Deus, ut comedat ex eo. Quid, obſecro

obſecro vos, hac hominum conditione miſerius? quibus cum nihil tam cordi ſit, atque adeò nihil potius aliud cordi ſit, quàm opes, facultates, copiæ, tamen miſerrimi ante excedunt è vita, quàm ullum ex eis jucunditatis ceperint fructum. Atqui licebat eis, ſi quid ſaperent, aurum ipſum, quod eis hac ſolis luce pulchrius, & propriis oculis charius eſt, ſecum habere in illis quoque Cœli ſedibus, aut, ſiquidem eis certum eſt, velle in tartarum relegari, ibi etiam ipſius fructum experiri, quando eò levius torquerentur, quò majorem pecuniarum partem eſſent pauperibus impertiti.

Quid igitur reliquum eſt cives optimi? nempe ut contemnatis omnes ineptias, & erroris opiniones, &, quod veritas præcipit, faciatis vobis amicos de mamona iniquitatis, qui, cum defeceritis, accipiant vos in æterna tabernacula. Mementote, (ut nunc eam partem aggrediar, quam dudum me tractaturum pollicitus fui) vobis eorum bonorum, quæ veſtra appellatis, procurationem à Deo traditam eſſe, non imperium, ut eis pro libidine abutamini. Quantùm verò tandem, inquitis, aut quatenus eſt largiendum? Ego

ſi quid ex mea ſententia eſſem pronuntiaturus, metuerem ſanè de hac re verba facere, non quòd mihi exploratum nondum ſit, quo uſque largiendi Chriſtiano viro ſit facienda progreſſio, ſed quòd vererer, ne in tam perditis moribus, corruptiſque opinionibus, perinde hæc à vobis intelligi auditu poſſint, atque ego ipſe loquens ſentirem. Sed ad Evangelicam ego vos veritatem relegabo, cui num habenda fides ſit, vos ipſi deliberate. Quid igitur in ipſis orientis Evangelicæ lucis initiis, atque adeò in ipſo Luciferi ortu, id eſt, Joannis Baptiſtæ prædicatione, dictum eſt? Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui eſcas habet, ſimiliter faciat. Reliquit opinor, ipſi plenæ luci id dicendum, quod perfectius futurum eſſet; vende quæ habes, & da pauperibus. Ipſe id duntaxat admonuit, quod prorſus neceſſarium foret ad iram illam fugiendam, quam venturam intentabat. Perfecta, inquit, hujus philoſophiæ præcepta ipſi ſponſo reſervabo, qui vos poſt paulò docebit, quibus artibus nomen, & gloriam ſitis adepturi; nunc ſatis mihi eſt à timore exordiri, qui ſapientiæ initium eſt; at pleniorem ſapientiam ab illo expectate,

qui

qui Dei virtus eſt, & Dei ſapientia. Arrigite huc aures, & oculos etiam ò viri, &, his jam purgatioribus, contemplemini, quàm humiles, quàm depreſſæ ſint hoc tempore hominum cogitationes, qui non modò non intelligunt ſe nihil dum magni quicquam aggreſſos, ſi etiam omnia, præter victum, cultumque neceſſarium, tribuerint indigentibus, id enim eſt venturam tantùm iram declinare, quia non tam id feciſſe virtuti, quàm non feciſſe, cum debeas, ſceleri aſcribendum eſt, & injuſtitiæ; non modo inquam id non intelligunt, ſed, ſi exiguam è tam multis, quæ debeant, partem tribuerint in egentium præſidium, putant & ſatis à ſe factum pietati, & immortales præterea illas ſedes ob rectè facta ſibi deberi. Dicat fortaſſe quiſpiam; quæ tandem hæc eſt tam multa tribuendi neceſſitas, aut ratio? Turpis quidem eſt iſta interrogatio, præſertim ei, qui dudum audiverit, ſibi idem ipſum, vel ſola naturæ noſtræ contemplatione, eſſe faciendum, ſed huic tamen gerendus eſt mos, & proferenda divinorum librorum teſtimonia. Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, (ait Joannes Apoſtolus) & viderit fratrem ſuum egentem, & clauſe-

rit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Fratrem audis? jam non de exigua eleemosyna, ſed de hæreditate cum eo, ut fratre, communicanda eſt cogitandum. Simul illud ſerva, ſi nulla ſpes ſalutis ſine charitate reliqua eſſe poteſt, hic verò admoneris, charitatem Dei in eo non eſſe, qui viſcera ſua clauſerit à fratre ſuo, quis non facilè colligat, quid conſequatur? Poſtremò quid dicturi illi ſunt, qui exiſtimant ſe tum demum, cum cruſtulum porrexerint, fratris egeſtatem levaſſe? Cur indigentiam tam exiguo fine circuncludis? quo id more? quo exemplo? Vulgus fortaſſe hominum proponis? non ad idoneos auctores provocas, neque ego tibi tam infirmis argumentis ſententiam meam probare conatus ſum. At verò tantum, tot rerum numerum ſecum habet indigentiæ nomen, quantum ego percenſere quidem numerando non poſſum, ſed velim, ut ipſe per te ex iis, quæ tibi experiris eſſe neceſſaria, fratris indigentiam metiare. Alioquin prævaricator es illius præcepti, quod tanti eſt, ut in eo impleri legem dicat Apoſtolus, diliges proximum tuum ſicut teipſum; hoc enim mandatum habemus à Deo,
ut

ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum, neque enim aliter Deum amare putandus eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere? Quocirca qui proximum amat ut ſeipſum, nihil amplius poſſidere, neque ditior illo fieri quæret. Quod ſi domeſticum fructum, atque ſplendorem, multorum ſolatio antetuleris, quantùm opibus auctus es, tantùm de charitate detraxiſti. Quid? quòd non ſolum non amas, verùm etiam injuria afficis proximum? Quo pacto inquis, injuria quenquam afficio, cum mea ſervem? Rurſus appellare audes tua? quæ undenam in hanc vitam tecum intuliſti, imò verò quod commune fuerat, occupaſti; perinde quaſi ſi quis theatrum prior ingrederetur, & occupato jam loco, reliquos extruderet, proprium judicans, quia ipſe præverterit, quod in medium omnibus poſitum eſt. Quòd ſi tantum quiſque caperet, quatenus vitæ uſibus ſubveniret, & ſuperflua relinqueret indigenti, non eſſent, neque immanes divitiarum acervi, neque egenorum greges miſerabiles. Quam verò ob cauſam indignum quenquam putas, quem tibi

adhibeas in contubernium, cum eidem ipſi æquè regni Cœlorum facta promiſſio ſit, atque aut tibi, aut cuique opulentiſſimo? Quem ergo hæc exigua, hæc terrena, debita præſertim, non communicabis? Potuit olim Lycurgus (ò factum memorandum, quodvel unum locuples exemplum ſit ad hanc veſtram tenacitatem in judicio condemnandam!) potuit inquam vir ethnicus univerſam Lacedæmoniorum civitatem ad bonorum æqualitatem inflectere, novam agrorum partitionem introducere, ut æqua in ſingulos cives portio diſtribueretur, ut nihil aliud tota Lacedæmon, niſi multorum fratrum, qui inter ſe hæreditatem diviſiſſent, ampliſſima quædam domus eſſe videretur. At qua id ſpe? nulla alia, niſi quòd æqualitatem maximè ad concordiam pertinere intelligebat. Nulla illos mercedis à Deo accipiendæ cogitatio, nulla promiſſi cœli ob ea rectè facta expectatio alliciebat, & tamen ſola vis honeſti, & præſentis concordiæ contemplatio, omnes in tam præclarum facinus conſpirare fecit. At verò à Chriſtianis inter tam felicia promiſſa præmia impetrari non poteſt id, quod longè facilius, ac levius eſt, ut cum

ſibi

ſibi ea ſumpſerint, quæ ad victum cultumque, ad educandos liberos, & erudiendos ſufficere poſſint, cætera tanquam non neceſſaria, ſuis atque adeò ipſius JESU CHRISTI Dei fratribus, concedere non recuſent. Sed eos digna tanto errore demum pœna comitatur; nam eorum liberi, cum ſervari ſibi tantas copias intelligant, virtutes averſantur, quas in mediocri fortuna eſſent amplexati, ocio tantum, & luxui operam dant, & brevi relictas opes, quæ eorum parentibus ipſo CHRISTO fuerant chariores devorant, ac profundunt. Ite nunc, & nihil profuturas cauſas prætexite, & ſæpius idem repetite, adeſſe vobis filios, quibus pecunias congeratis. Quanquam hanc non eſſe parandarum opum cauſam illi ipſi arguunt, qui filiis carent, qui quamvis hæredem nullum ex ſe habituri ſint, attentius tamen invigilant opibus, quam ii, qui plures liberos ſuſcepere. Morbus tantum eſt, mihi credite, à quo tum demum, aut potius tum ſolum liberandi eſtis, ſi vos benè penitus in Evangelicæ lucis familiaritatem dederitis, cujus ignoratio ita profundas tenebras offundit oculis veſtris, ut ne oblatam quidem

lucem intueri poſſitis. Quod ſi CHRISTI leges interdum, & præcepta conſulveritis, hæc omnia nullo negotio voſmet ipſi dijudicaretis. Etenim unuſquiſque veſtrûm ita ſecum loqueretur. Si eſurientem ſitientemque inimicum alere jubeor, quid tandem eſt, quod in proximum quenque ut fratrem non ſit conferendum? Ocioſa, ac levia, ac volatilia verba & ejus generis, ut nemini damnum afferre poſſint, tamen in judicium, & ad ipſa CHRISTI ſubſellia trahenda ſunt, verba, res, imò ne res quidem, cum verba plurimum à rebus diſtent, ſed tamen ita nunc appellentur, res, qua nihil eſt, cui facilius veniam demus, & eò magis, cum nihil ineſt vitij in eis, niſi quòd ſine ulla neceſſitate prolata ſunt, & ea ipſa verba in illo totius orbis terræ conventu, in quo ſumma rerum agetur ſub judice CHRISTO, in jus vocabuntur. Quid ocioſis pecuniis fiet, quæ dum apud me marceſcunt, aut in res peſſimas conſumuntur, alius frigore, alius fame conficitur, hujus filii ob inopiam errant, illius adultæ filiæ, cum nemini locari ſine dote poſſint, quæſtu corporis vitam agunt non vivendam? Quibus ego meam cauſam, in re-

tam

tam teſtata, tam aperta, defendam patrociniis? cum mihi ille regum Rex obiiciet, cur alere equos, aut venaticos canes, & aves maluerim, quàm eos, quos fratrum appellatione ipſe dignatus eſt; dicam id me ignoraſſe, eſſe præceptum, & errori veniam dandam? At quotidie ex Evangelio clamat, eos in primis in judicio execrandos, non ſolum, qui alios ſpoliaverint (nam ii ſua jam ipſorum judicante conſcientia ſunt condemnati) verùm etiam, qui fuerint obliti beneficentiæ. Dicam fuiſſe tempori ſerviendum, in quo ſi vitæ ſplendor ſervandus erat, in hac hominum luce, nihil ex infinitis opibus, quod in proximum quenque impertirer, ſuperfluum eſſe videretur? at me ratio docuit, non eſſe iſta vulgi, & imperitæ multitudinis errore metienda; aliòqui quem ad finem ſe referet effrenata cupiditas, quæ in maximis copiis major ſemper fieri conſuevit? Cum prohibeat Evangelicis legibus pro victu, & cultu corporis eſſe ſolicitus, rebus tam ad vitam neceſſariis, ut ſine iis non vivatur, quæ erit idonea excuſatio, voluiſſe me opulentos filios relinquere, & ampliori dote filias nobilioribus collocare, aut ſexcenta alia proferre in medium,

dium, quorum falſis appellationibus avaritiæ crimen nobis prætexere ſolemus? Ergo expectabo, dum in Geennam, & æternos illos cruciatus miſer detrudar, ob exiguam hanc, & umbræ ſimilem contemplandarum opum voluptatem? & pro unius diecülæ fructu patiar perpetuo exilio relegari? Quis hanc inſanus conditionem accipiat? Siccorum ne hæc conſilia ſunt, an potius ſomnia vinolentorum? Hæc, & his etiam acutiora excogitare ex ſe quiſque veſtrûm poſſet, ſi frequentius cogitationes veſtras Evangelicæ doctrinæ regula corrigeretis. Neque verò velim exiſtimetis, me hac oratione ad ſummam vos Chriſtianæ philoſophiæ arcem invitaſſe. Nondum enim vobis beatiſſimam ſolitudinem, & sylvas, monteſque propoſui, nondum probavi longè felicius eſſe, quod ad hanc etiam ipſam vitam pertinet, depoſitis omnibus impedimentis, & à divitiarum ſpinis expeditum philoſophari. Non enim potui loqui vobis tanquam jam adultis, ſed tanquam parvulos lacte vos alui, non ſolido cibo. Hanc autem perfectiorem partem olim fortaſse, cum vos videro exercitatiores, diligentius perſequemur, nunc ſatis ſit ea vos admo-

admonuiſſe, ut caveretis, quæ iter veſtrum ad immortalem vitam prohibere poſſent. Qui ſi quibus ſeveriora dixiſſe viſus ſum, quàm antea audiverint, ſciant iſti, non orationis id meæ, ſed diuturni erroris ſui culpa accidiſſe. Ego verò liberrimè, & maxima voce, ut omnes exaudire poſſint, dico, ſemperque dicam, in montem etiam excelſum, ſi opus fuerit, aſcenſurus, ut de loco ſuperiore à pluribus audiar; ſi quis, cui opes ſuppetant, & facultates, ab hac non mea, nunquid enim harum rerum à me fingitur? ſed Evangelica ſententia voluerit diſſidere, huic ego ſalutis ſpem reliquam eſſe nullam video. Qui ſpreverit, ſpernito, nos, quæ à divinis literis accipimus, prædicamus. Vos autem optimi Cives, ſi vobis probavi, neque natura, neque divinis legibus, opes commendari, nec eas propterea appetendas, quòd aut laudabilem, aut ſaltem delectabilem vitam faciant, ſed contra potius, nimiam earum copiam, ad jucunditatem, & ad præclariſſima quæque ſtudia impedimento, quodque omnium maximum eſt, ab ipſo Deo, & perpetuis illis in Cœlo promiſſis bonis avocare, incipite tandem, veris opinioni-

nionibus aſſueſcere ; atque intelligere, vos non ad parandas opes, ſed ad longè præſtantiora ſtudia factos eſſe. Non uxoris, ac filiorum cogitatio Evangelii monitis, atque adeò veſtræ, & eorumdem ipſorum ſaluti anteponatur, quos non vobis Deus ea lege dedit, ut propterea CHRISTI legibus, conſiliiſque adverſaremini. Qui cum dicit; ſi vis perfectus eſſe, vende quæ habes, & da pauperibus, non minus iis, qui liberos ſuſcepere, quàm reliquis omnibus verba facit. Mementote jam jamque eſſe recedendum, & ex hac tanquam ſcæna, & vitæ fabula, ad res ſerias eſſe demigrandum. Colligendæ ſarcinæ, & parandum tanti itineris viaticum eſt, quod non erit opes imminuere, ſed exiguo pretio immortales, veraſque divitias præparare. Moveat vos illius æternitatis admirandæ recordatio, quam, nunc in poteſtate veſtra eſt, feliciſſimam malitis, an ſupremis plenam habere calamitatibus, in cujus æternitatis contemplationem ſi vos bene penitus dederitis, fiet, ut

opi-

opiniones omnes veſtras ; non ad has humiles , ſed ad diviniores , & latiore ſpecie rationes, tanquam ad clariſſimos ſeptentriones, referatis.

FINIS.

Digitized by Google

G. Dicæi.

Diſcipulus quidam ſapientum haud ultimus olim
Facundo ad ſævam compulit ore necem.
Sed tu docte Clari gemmas contemnere, & aurum
Lectorem coges, ſit licet ille Midas.
Tu major, vita eſt multis quia vilior auro,
Et mors eſt miſeris portus ubique viris.

Ejuſdem.

Quiſquis letali cruciaris peſte, nec ullam
Noſcis adhuc requiem dives inopſque ſimul,
Quiſquis es in noſtro non fictus Tantalus orbe,
Siſyphus, Ixion, Japetionides,
Hæc lege, nam Clarii ſunt hæc oracula Phœbi,
Hic tamen eſt clarus, verdicuſque magis.

Octaviani Arcimboldi.

Qui novus hic morbos animorum ſanat Apollo,
Quis diram verbis tollit avaritiam?
Agnoſco, eſt Clarius dignus cognomine tanto
Doctrina, ſanctis moribus, ingenio.

Digitized by Google

REIMPRIMATUR

F. Joſeph. Maria Simeoni S. T. Magiſter, & Vic. Gen. Sancti Officii Mutinæ.

VIDIT

Nicolaus de Sanctis.

5. 4. 161

Digitized by Google

Digitized by Google

005661881

Digitized by Google